ola
ationis
Ioan:

T

Tommey

R. P. F.

IOANNIS

A IESV MARIA CAR-
MELITÆ DISCALCEATI

SCHOLA

Orationis, Contemplationis
& Mortificationis passionum, in qua & de
aliis præcipuis ad doctrinam spiritua-
lem spectantibus materiis tra-
ctatur,

*Pro omnibus qui spiritualiter viue-
re volunt, & pro ipsorum Ma-
gistris accomodata*

ET

Ex Italico Idiomate in Latinum conuersa.

POSNANIÆ,
Typis Ioannis Wolrabi, Anno D. 1625.

FR. Ferdinandus à S. Maria Vicarius Generalis Congregationis S. Eliæ, probo hũc librum inscriptum, Schola di Oratione, Contemplatione, Mortificatione delle Passioni, &c. à R. P. F. Ioanne à Iesu Maria prædictæ Congregationis Procuratore Generali compositum vt Typis mandetur, si placuerit Reuerendissimo D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij. Datum Romæ Cal. Decemb. 1610.

F. Ferdinandus á S. Maria
Vicarius Generalis.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. M. S. Pal. Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

Re-

Recognoui hunc librum R.P.F. Ioannis à Iesu Maria, qui inscribitur Schola di Oratione, Contemplatione, Mortificatione delle passioni, & c, *ex ordine Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Palatij F. Ludouici Ystella, & nihil inueni quod iudicauerim censura dignum, imò visus est mihi dignissimus qui typis mandari debeat. Romæ 24. Ianuarij. 1611.*

Blasius Aloysius Societ. Iesu.

Inprimatur F. Thomas Pallauicinus Bononien. Mag. & Reuerendiss. P. F. Ludouici Ystella Sac. Palatij Apostolici Magistri Socius Ordinis Prædicatorum.

LECTORI SALVTEM.

INter cætera, quę in hoc exilio, Christiane Lector, hominē maximè & delectant & prosunt, non postremam partem occupat ipsa rerū Spiritualiū & impressionū diuinarum, quas Deus ex infinito amore in illorū operatur animis, qui sincerè se diuinę eius maiestati consecrant, cognitio. Sunt quippe hæc mirabilia quædam opera, & diuinæ magnitudini & liberalitati ex ęquo respondētia. Sed nō parum deplorandū est, homines in reb⁹ adeò sublimib⁹, tantumq; salutem suā promouere natis, intelligēdis ita negligētes esse: & quod etiā peius est multos insigni prudentia viros, negotiorū temporaliū mole coppressos, si quādo à Dei seruis cōmonētur, vt reb⁹ ad spiritū spectāti-

bus animũ aliquantulũ applicaret, nescio quã auersionẽ præferre seq; excusare, dicẽdo nimis hæc recõdita esse, & ad intelligendũ difficilia. Quæ respõdẽdi ratio parũ pia est, nec proximũ ędificat: si enim summi hæc momenti sint, ac fructum singularẽ & cõsolationẽ suis cultorib⁹ adferãt; nõ deberẽt sanè viri sapientes ab illorũ studio & amplexatione ob vllã difficultatem auocari; cũ nec à facultatibus & censu augẽdo, nec ab honoribus comparandis maxima, quæ in horum comparatione certissimo subeunda est, difficultate deterreantur. Idq; eo magis quòd quæ in rerum spiritualium studio occurrit difficultas, magnos ab homine non requirat sumptus, nec graues labores, sicuti studia & prætensiones temporalium solent deposcere; sed moderatam tantum animi applicationẽ, vtq; vel modicum tẽ-

poris lectioni, orationiq; sine vlla prorsus corporis molestia impendatur. Neq; verò credendum est, illos, qui in rebus temporalibus vsq; eo sunt subtiles, vt aliena sese corda penetrare, nec non id, quod alij cogitatione agitāt, scire posse se iactēt; luce affulgēte diuinâ, (quæ, si se humiliarint, haud dubiè cælitus communicabitur) ad spiritualia intelligēda rudes & ineptos fore. Porrò prudentes sæculi faciant prout ipsis videbitur: equidem cum Domino cupiens, pro modica illa luce mihi collata, cooperari, quò lectorum, ad quorū manus libellus hic venturus est, animos ad rerū diuinarum studium inducam & alliciam, & non ignorans, in multis scriptorum spiritualium libris hæc certa methodo tradita nō esse, neue ita declarata, vt à quolibet facilè prout voluerit, queāt intelligi; statui quàm possem

breuiſſimè ac diſtinctiſſimè de præcipuis maximeque neceſſariis, quæ quidẽ ad ſciẽtiã hominis interioris ſpectãt, materiis nonnihil ſcribere. nimirum de Oratione, Mortificatione, Contemplatione, ſtatibus incipiẽtium, Proficientium, Perfectorũ, diſcretione ſpirituum, viſionibꝰ, Reuelationibus, Theologia myſtica, & de omnibus propemodum quæ ad ſpiritualẽ vitã pertinẽt; adeò vt tractatus hic vſui eſſe poſſit tum hominibus ſpiritualibus, tum eorum inſtructoribus & magiſtris. Materiæ autẽ in diuerſos diſtinguuntur tractatus, vt in ſubiecto videri licebit indice. Deũ Op. M. quàm poſsũ affectuoſiſſimè rogo, vt lectorũ animos ad operũ interiorũ, in quibus ſapientiæ, bonitatis, charitatis, ac miſericordię ipſius magnitudo ſublimius atq; euidentius eluceſcit, amorẽ & ſtudiũ pertrahere dignetur.

INDEX MATERIARVM.

TRACTATVS

DE RELIGIONIS NO- stræ Instituto, deque huius fine, vel partibus, & status nostri obligationibus, vt suum hinc alii Religiosi statum perspectum habeant.

RELIGIOSVS quilibet nosse tenetur, quod proprium suum sit institutum, quæ eius partes, quę obligatio; quemadmodum & vnumquemque, qui aliquid profitetur, Bar est scire id, quod profitetur: vt verò Religiosi nostri distinctam harum tanti momenti rerum cognitionem habeant, sequentia hæc eos obseruare non inutile fuerit.

Notabile I. Certissimum est, vltimum religiosorum ac sæcularium finem eundem esse: quia omnes, si vitam sanctè recteque instituant, simul ad vitam æternã tendunt. Adeò vt & bonus Religiosus, & bonus Christianus in sæculo viuens, pro statu suo quisque, claram visionem Dei, & perfectæ charitatis fruitionẽ, qua

in cœlo donabũtur, intendant, & ſpectent. Hæc vita æternã eſt, & vltimus hominis finis.

Notabile II. Religioſo verò non ſufficit hanc veritatẽ noſſe, ſed & aliam quãdam norit oportet; ſcilicet, antequam ad vltimum & beatiſſimum illum finem perueniat, alium adhuc quendam finem eſſe non vltimum, in quo omnes Religioſorum congregationes ac familię conueniunt, & ad quem omnes illę tendunt. Hic autem finis non vltimus omnibus in genere Religionibus communis eſt ipſa charitatis, quę in hac vita & poteſt & ſolet acquiri, perfectio, quę tametſi ad ſummam illam charitatis, quę in ſtatu glorioſo habebitur, perfectionem non pertingat; excellentiſſimus tamen quidam perfectionis eſt gradus, dignus ſanè, qui omnibus monaſticę vitæ laboribus & exercitijs comparetur,

Notabile III. Scire adhæc Religioſus debet, ſe eo ipſo, quòd ſtatum ſuum profitetur, grauiſsimè obligari, vt ſemper ad perfectionem charitatis tendat; adeò vt ad hanc eum perfectionem ſemper reſpicere, & huc omni ſtudio conniti oporteat. Propterea tamen non requiritur, vt in illã perfectus ſit, vti id ab Epiſcopis requiri-

tur, quorum nimirum ſtatus, ſtatus eſt magiſtrorum perfectionis, cùm ille Religioſorum, non magiſtri, ſed diſcipuli, aut incipientis, qui vitę Chriſtianę perfectionem addiſcere procuret, ſit ſtatus, prout communiter Sancti ac Doctores ſcholaſtici tradunt. Ad huius ad perfectionem tendendi obligationis intelligentiam cōmune illud magiſtrorum ſpiritualium notandum eſt axioma, in via perfectionis non progredi, nec proficere, eſſe velut deficere ac retrogredi. Quod ſic probatur; quia omnis actio humana in particulari vel bona eſt, vel mala, ſecundùm communem Thomiſtarum ſententiam: dum bona eſt, proficit homo; cùm verò mala, deficit ac retrocedit, idque vel grauiter, dum videlicet mortale committit peccatum; vel leuiter, quando peccatum veniale eſt. per quod peccatum ipſi gratię, charitatis, & aliarum virtutum habitus non idcircò deperierunt, vel ſuę intenſionis gradus amittuntur. Notandum præterea, ipſam perfectionem Chriſtianam primariò & eſſentialiter in mandatorum chariratis cùm erga Deum, tum proximum exercendę obſeruatione conſiſtere; ſecundariò verò & inſtrumentaliter in conſilijs Euangelicis, quę ad exa-

ctiorem præceptorum obſeruantiam faciunt. Nota adhæc rationem, cur perfectio in ſola charitate conſiſtat, vt quidem ſanctus Thomas quæſtionis ſupra allegatę art. 1. aſſerit, hanc eſſe, quod omnis rei perfectio in eo ſita ſit, quod cum ſuo ipſa proprio fine vniatur, Atque ideo omnem hominis perfectionem in charitate, quę animam noſtram Deo, qui vltimus ac perfectiſſimus noſter eſt finis, vniat, conſiſtere.

Notabile IV. Debet præter ſupradicta puncta, quę omnibus in genere Religionibus communia ſunt, vnusquisque Religioſus proprium Religionis ſuę finem, aut fines noſſe; cùm ſuum omnis Religionis ſpecies proprium habeat inſtitutum, quod è proprijs eius finibus, & principalibus obſeruantię eius partibus componitur. Ex hac ſpecifica differentia mirabilis illa Religionum, quę pulcherimum Eccleſię ſunt ornamentum, diſtinctio, vel varietas naſcitur: adeò quidem, vt vnaquæq; cum particularibus, vel ſpecificis, & proprijs finibus (in quibus omnes Religiones, non conueniunt) ad perfectionis charitatis finem contendant (in quo omnes conueniunt.) Sic ab vna Religione velut proprium inſtitutum, ac fin em

ſuum ſeligi videmus contemplationem, ab alia piam prædicandi, ac docendi actionem; ab alia verò duos hoſce fines ſimul iungi, ita eoſdem mirabiliter inter ſe temperando, vt cùm ſibi, tum proximo queant benefacere: atque adeò omnes cum hac finium immediatorum varietate ad mediatum & communem diuinę charitatis finem: vti diximus, aſpirare. Notandum verò, plures Religiones duos hoſce immediatos fines ſibi ſelegiſſe, diuerſos tamen gradus, ac differentes regulas vel conſtitutiones, ac modos, quibus ad hoſce fines pertingant, habere; ob quę etiam inter ſe diſtinguuntur; cùm ad ſpecificam rerum moralium diſtinctionem ipſa in huiuſmodi rebus differentia ſufficiat.

Notabile V. E ſuperius propoſita doctrina ſequitur, Religioſos noſtros noſſe teneri, quod noſtrum ſit inſtitutum, vt ſciant nimirum, qui nam immediati ſint fines, per quos ad mediatum charitatis, & vltimum æternę vitę, ad quam aſpiramus, finem perueniamus. Reſpondeo itaque, inſtitutum noſtrum mixtum eſſe, & è duobus finibus ac partibus conſtare: quarum vna ipſa ſit contemplatio, altera actio: ita tamen vt contemplatio præcipua

ac primaria pars sit ac finis. Quod perinde est, ac si diceremus. Religioni nostrę primariò ac principaliter propositū esse, ad perfectionem charitatis per vitę contemplatiuę exercitia, secundariò aūt per vitę actiuę studia contendere. Et sanè per Dei gratiam, & per Beatissimę Virginis Marię, & S. Matris nostrę Teresię merita, dicta exercitia sunt egregiè admodum ad vtrumque finem & partē instituti nostri ordinata & proportionata, idque tam in conuentibus Monachorum nostrorum, quam monasterijs Monacharum.

Notabile VI. Ex eo, quod immediatè dictum est, sequitur Religiosum aliquem de nostris, si quando interrogatur, quonam per illam obseruantiam, quam profitemur, connitatur. respondere debere: Ego ad diuinę charitatis perfectionem per institutum quoddam, è contemplatione & actione mixtū compositumq; contendo; adeo vt primarium ac praecipuum studium meum sit, disciplinę nostrę exercitijs, quę ad Domino Deo vacandum, & diuina contemplanda instituta sunt seriò intendere. quod sane me in progressu in charitate eius faciendo permultum iuuat. Secundariò verò ijs intendo

tendo adimplendis, quę obedientia mihi quoad vitam actiuam præcipit, vt, dum mihi iniunctum est, vt proximi causa studeam, prædicem, confessiones excipiam ac manibus laborem; id ex animo exequar.

Notabile VII. Notandum Religionis nostrę institutum duos illos. quos diximus fines, complecti, ac pręterea regulam constitutiones, & exercitia. ceu media, per quę duo illi fines obtineantur; Hinc Religiosus noster ita ad fines nostros respicere debet, vt alias eum vias ac media quibus ad eosdem perueniat, requirere necesse non sit, præter sola ea, quæ in nostris legibus, ac statutis præscripta sunt. Adq; ideo fideliter dictas obseruare leges debet persuasum habens, sic, & non aliter ad charitatis se perfectionem per propriós instituto nostro fines & partes peruenturum. Hac itaque doctrina præsupposita, cuidam magni momenti quæstioni simul respondetur; quid nimirum sit ad perfectionem tendere? Quod non aliud esse dico, quàm pręcepta diuina, & ea, quę Christianis omnibus communia sunt. nec non ea, quę instituto propria & essentialia sunt, cum intentione & intuitu ad perfectam charitatem contendendi, obseruare;

Notabile VIII. Porrò quo ad status nostri obligationem aliud dicendum hic non occurrit, quàm tria solemnia vota, & quartũ de non ambiendo; adhæc formalia expressaque superiorum mandata, nec non ipsum diuinum officium, Religiosos nostros professos ad peccatum mortale obligare: Regulam verò ad veniale duntaxat; Cõstitutiones, Instructiones, & alia Superiorum decreta ad nullum prorsus peccatum, sed ad pęnam tantùm, vbi & quando imposita est, obstringere. Boni tamen Religiosi non aliter statuta, quę ad nullum pecatum obligant, obseruare debent (vti & Dei gratia obseruant.) quam si ad mortalem reatũ præuaricantes obligarent.

Notabile IX. Superiora pũcta vbi Religiosus perspecta habuerit, facilè, quodnam inter suum & sæculariũ Christianorum statum discrimen sit, intelliget. Hinc fiet, vt monasticum simus statum pluris facturi & infinitas diuinæ Maiestati, quòd maioribus nos, quam sęculares reliquos beneficijs affecerit. gratias acturi. Nam præter gratiam quam Deus ijs, ad diuinã legem eius auxilio seruandam, præstat, ac præter sacramentorum, & aliquorũ exercitiorum. & mortificationum, quas in-

terdum boni sæculares suscipiunt, remedia nostro sanè statui de tot auxiliis ad perfectionis Christianæ acquisitionem optimè proportionatis prospexit, vt magna foret cæcitas. hæc non agnoscere, insignis verò ingratitudo, eadem parui pẽdere, nec debitas eo nomine diuinæ bonitati gratias agere. Vota siquidem, Regula, Constitutiones, Superiorum Instructiones, & Decreta, orationis ac mortificationis exercitia, vitæ communis & regularis capitula, exhortationes ordinariæ. solitudo, silentium, pia in ijs, quæ ad obseruantiam spectant, æmulatio, charitatis, ac humilitatis actus, aliaque quæ nostrum institutum continet; permagna quædam Dei beneficia sunt, nec non conuenientissima ad hanc perfectionem, ac vitam æternam, ad quam tendimus, comparandam media.

Notabile X. Quicunque ad perfectionis monasticæ apud nos finem pertingere cupit, duo potissimum respicere capita debet, scilicet primò studium orationis, deinde mortificationis, ita vt in disciplinæ nostræ exercitijs, & in omnibus, quæ sese offerent, occasionibus duo semper puncta præ oculis habere debeat, primum, vt animum Deo semper

vnitum & coniunctum habeat; alterum vt ſuum iudicium, voluntatem, & proprios appetitus abneget. Hæc regia via eſt, quam & Chriſtus Dominus prædicauit, & Apoſtoli alijque ſancti ſectati ſunt, ideoq; ex toto corde à noſtris debet Religioſis amari ac iniri.

Notabile XI. Ex eo, quod de immediatis inſtituti noſtri finibus. aut partibus diximus, nimirum quòd præcipuè ad contemplationem, velut adfinem eius primarium obligati ſimus, quoddam oritur dubium: videri ſcilicet ſuæ cum Religioſum obligationi non ſatisfacere, qui ad contemplationem non peruenit? cùm immediatus hic Religionis noſtræ finis, ceu efficax quodam medium, quo ad perfectionem charitatis, ad quam omnes, quotquot ſunt Religiones, tendunt, perueniatur, electus ſit. Ipſum porro dubium formaliter ſic concipitur. Quomodo in charitate progreſsum facere poteſt, qui primarium, quod ad progreſſum in ea faciendum elegit medium, non adhibet nec vſurpat? Reſpondeo: Qui orationi (quæ ad contemplationem via eſt) incumbit, vt noſtri Religioſi paſſim faciunt, primariæ ſuæ obligationi ſatisfacit, tametſi alioquin ad veram & pro-

priè dictam contemplationem non pertingat. Eò quòd non proprius contemplationis actus, qui gratuitum quoddám Dei donum est, quodque paucissimis obtingit, ceu medium quoddam vniuersale, ad progressum in charitate faciendum sit electus; sed tantùm vniuersaliter ipsa contemplatiua vita, quædam scilicet vitæ ratio, quæ spiritualibus, exercitijs, ac maximè orationi studeat, cuius terminus ac finis, vera & propriè dicta contemplatio est, á qua ipsa vita contemplatiua nomen & appellationem sortitur. Quamobrem Religiosus, qui ad hunc terminum tendit. vel saltem tendere contendit, suæ satisfacit obligationi, & charitatis obtinere perfectionē potest, etsi alioquin toto vitæ tempore, ne quidem per quadrantem horæ, propriè dictam contemplationem habeat. Sed pauci illi, quibus ingens hoc bonum obtigit, incredibilem quendam in diuina charitate progressum faciunt; quod nullis potest á quoquam verbis explicari.

TRACTATVS.

DE ORATIONE.

ORATIO quidem propriè quædam est à diuina Maiestate petitio; sed iuxta ordinarium & iam tutum sensum, vox hæc oratio ad quandam mentis ad Deum eleuationem & sublationem significandam vsurpari solet, & in secundo hoc sensu omnes orationis partes includuntur, cùm primus sensus vltimæ solùm parti orationis conueniat.

Partes orationis sunt sex. Prima, ipsa est præparatio; Secunda, lectio; Tertia, meditatio; Quarta, gratiarum actio, Quinta, oblatio, Sexta denique, ipsa petitio.

Præparatio porrò duplex est: vna remota, altera proxima. Præparatio remota in fuga consistit distractionum, nec non eorum, quæ recollectionem interiorem turbare queunt. Proxima verò in maiestatis diuinæ magnitudinis, ac propriæ vilitatis consideratione, vt se nimirum homo per affectus reuerentiæ & amoris erga diuinam maiestatem, & per affectus humilitatis, semetipsum dispiciendo, ac de peccati vilitate dolendo disponat. Et hunc oraturus præferre affectum, cùm sese ad orandum componit, debet; vti publicanum Euangelicum fecisse legimus cuius oratio Domino Deo

tantoperè placuit.

Lectio deinde, primò attenta sit, secundò lenta, tertiò punctum aliquod cæteris efficacius seligendum, tale nimirum quod maiorem ad meditandum, vel de eo mente discurrendum, vt eò voluntas tandem permoueatur, vim habet. Parū verò refert, vtrum ipsa præparationem lectio præcedat; an sequatur.

Meditatio primò esse debet moderata, deinde efficax. Notandum verò è meditatione, in qua diuina considerantur beneficia, quandam gratitudinem enasci, quæ duas habet partes; primò, affectum gratum interiorem, quo excitatur homo vt ideo ei gratias agat; deinde reciprocā pro modulo nostro in beneficio reddendo responsionem, & ad hoc quædam fieri solet oblatio, in qua virtutum tum interiorum, tum exteriorum opera facere firmiter proponimus.

Gratiarum actio consistit primò in affectibus gratitudinis excitandis, deinde vt meditans aliquot amoris & laudis diuinæ actus propter accepta beneficia in ipsa meditatione perpensa faciat.

Oblatio sita primò est in eo, vt meditans totum omnipotenti Deo sese consecret; secundò, infinita si haberet corda,

offerat, tertiò, excelentes quoſdam virtutum cum interiorum, tum exteriorum, ac præſertim earum. quæ maxime neceſſariç ſũt, actus facere, & generosè aduerſ⁹ paſſiones & tentationes, á quibus maximè oppugnatur, decertare proponat.

Petitio eſt, vt petamus primò bonũ quodcunque homini congruum & conueniens eſt; ſecundò victoriam de illo vitio aut tentatione, quæ plus cæteris nos affligit; tertiò, virtutem tunc nobis potiſſimùm neceſſariam; quartò vt etiam aliquid pro proximis petamus; quintò, vt magna quadam fide per Chriſtum Dominum noſtrum hæc omnia petamus.

Sex harum partium ratio hæc eſt: Rationi quàm maximè conſentaneum eſt, vt, quiſquis potentē aliquem principèm & multò magis diuinam allocuturus eſt maieſtatem, ſeſe antè præparet, & conſideret, quocum tractare velit, & quis ſit ipſe, qui hunc alloqui proponat. Atque huc ipſa facit Præparatio. Deinde par eſt, vt ſecum cogitet, quanam de re acturus ſit, atque hunc in finem adhibetur lectio, quæ orationis materiam ſuppeditat, neceſſe quoque eſt, vt ipſa, de qua agendum eſt, materia antè ſeriò ponderetur & expendatur: Huc ipſa ſpectat meditatio,

quę hanc materiam excutit & ponderat, super eadem discurrendo. Sequitur dein affectus applicatio, quæ ex ea oritur meditatione, in qua accepta á diuina maiestate beneficia considerata sunt: eadem quippè ratio, quæ ad præparationē faciendam, & ad materiam eligendam, & ad super ea discurrendum excitauit, exigit, vt, dum in illo discursu diuinæ misericordiæ clarius iam perspectæ agnoscuntur, tanto sese anima benefactori obstrictam & obligatam sentiat, atque idcirco ex intimo affectu ei gratias agat. huic vsui est ipsa gratiarum actio. Consentaneum adhæc est, vt præter gratitudinē illam interiorem, quam maxima potest contentione anima grata tanto benefactori vicissim reciproco beneficio studeat respondere. Ad hoc confert oblatio, in qua nimirum se homo totum ex hoc gratitudinis affectu offert, & virtutum opera propter Dominum Iesum facere proponit. Sed iuxta Catholicam veritatem præsupposito, non posse hominem sine Domini & creatoris sui auxilio & gratia debitum hoc persoluere, vel pium aliquod opus facere, ratio ipsa postulat, vt vltima orationis pars sit ea, qua ad ipsum per petitionem recurramus, illius opem

ad hoc debitum persoluendum, ad peccati onera deponenda, ad virtutes comparandas, denique ad omne id, quod vel necessarium, vel conueniens est, quo ad finem vitæ perueniatur, acquirendum postulantes.

BREVE EXEMPLVM

Orationis è supradictis partibus compositæ, idq; circa dolores & ignominias Iesu Christi crucifixi. Præuia autem de hoc mysterio lectio præsupponitrr.

PRAEPARATIO.

EGO vilissimus peccator tecum, ô altissima maiestas, supreme Domine ac Deus meus, locuturus sum. Magnum quid hoc est Domine. Minimè autem dubium est, quin tu ex infinita bonitate & dulcedine permittas ac digneris, vt ego, qui abiectus quidam sum vermiculus, quique æterna quadam repulsa á te deberem repelli, cum diuina tua loquar maiestate, accessumque inueniam cum ea-

dem

dem propiùs ac de plano agendi. Ego te, potentissime Regum Rex, adoro, & me coram immensa tua magnitudine prosterno; tibiq; cor meum consecro, vt ipsum vacet tibi quin meorum me maximè pœnitet peccatorum, & ex toto corde meo te deprecor, vt ea mihi propitius digneris ignoscere, mihique adesse, vt horam hanc fructuosè orationi queam impendere.

MEDITATIO.

DE tua mihi, ô fili Dei viui, crucifixione cogitandum est; & vellem sanè, grauissimos hos dolores & ignominias, quas pro me passus es, pro merito possem ponderare. Certò autem noui, ó infinitum bonum meum, dolores hos tuos maiores esse, quàm vt illis á me verbis exponantur, quia quādo te in ligno illo extentum video, ossa tua loco mota, manus ac pedes tuos clauis illis transfixos, & sacratissimum caput tuum horrendis illis spinis perforatum, & in crudelissimæ mortis agone constitutum; & simul in mentem reuoco, purissimum corpus tuum tali à Spiritu S. temperatura formatum fuisse, vt maximè sensibile id foret

Nota, meditatione hanc, aliasq; partes magis extēdi posse, secundùm tēporis spatiū: cuius pótissima portio

tribꝰ sequentibus partibus inpendenda est, atq; hic bonæ meditationis fructus est.

& magis, quám vllum alterius hominis corpus, dolores & cruciatus ferre natum; dolores sanè tuos ineffabiles fuisse mihi persuadeo, & ipsos etiam lapides adsummam quamdàm compaſsionem iiſdem permoueri debere. Cui si admirabilem diuinæ tuæ personæ inuentionem addidero, qua nimirum maximè stupendum hunc modum, quo se naturæ cuidam paſsibili, ad tantos cruciatus ferendos, vniuit, adinuenire potuit, aliud quid dicam, nescio, quá eſse me & crudelliſsimam, & ingratiſsimā quandam creaturam, quæ immanis huius spectaculi iustitiæ in innocentem Dei viui filium, qui pro me mortem subijt, exercitæ causa exstiti. Si deinde auribus tuorum illusiones & improperia inimicorum excipiam, qui tametsi te in summis cruciatibus cōstitutum viderent, infernalibus te linguis suis de nouo crucifigebant insultantes, exultanteſque, quód te tanta cum ignominia & dolore emorientem cernerent, aliud non habeo, quod ad hæc respondeam, quàm eſse me illum Iudam, qui grauibus te peccatis meis in rabidorum horum iluporum manus tradidi, vt ea, quam tantoperè concupierunt, præda cruentam famem suam exsatiarent. Dic mih

mihi, obſecro, Domine amantiſsime, qui fieri potuerit, vt mea cauſa in tam atrocium inimicorum manus te vltro tradideris? Scio, me antè deliquiſse in te, & ad iracundiam te prouocaſse: quomodo ergo tanta dulcedine vltro, ac benignitate me prouocas? Cur innocens pro reo, & pro ingratiſsimo peccatore mori debet?

GRATIARVM ACTIO.

INfinitas tibi gratias ago, æternum bonum meum, quin infinita habere corda vellem, vt ijs omnibus ſonoris factis opulentiſsimam miſericordiam tuam decantare, ac celebrare queam. Hi & ſequentes actus pro temporis modo ac diſpoſitione multiplicandi ſunt.

OBLATIO.

EGo tibi, benigniſsime Domine, meipſum totum, nec non infinita, quæ habere vellem corda, quò ea tibi ſacrificem, offero, &, vt tantæ caritati aliquatenus reciproca gratitudine reſpondeam, fideliſsimè tibi ſeruire, & in hac, & illa re, quæ mihi difficultatem exhibet,

mortificare, &c. propono.

PETITIO.

VErum nihil prorſus ſine te facere poſſum, Domine; quamobrem adiuua me Rex liberaliſsime, & gratiam concede, vt quæ me affligit, paſsionem expugnem, illamque comparem virtutem, quam mihi maximè comperio eſse neceſſariam, ac per te ipſum omne id mihi præſta, quod, quò ad æternam gloriam perueniam mihi deeſt.

DE PARTIBVS ORATIONIS in communi.

DVbium I. An plures ſint orationis partes præter eas, quas aſsignauimus, Reſpondeo, quod non, atque idcirco multi eas ſācti ad pauciores reſtringūt. ſed ea, quam dedi, diuiſio, tironibus vtiliſsima eſt. Nota, Aliqui quidem ſcriptores ſpirituales contemplationem ad hunc partium orationis ordinem referūt; ſed id errandi iunioribus occaſio eſt, quāquam enim hæc ſub orationis nomine comprehendi queat, quod altiſsima quædam mentis in Deum ſit eleuatio, propriè

tamen loquendo, magna est inter hæc duo differentia, & tirones, dum contemplari conantur, & suum tempus, & vt plurimum fructum omnem orationis perdunt; quod tum manifestius & clarius ostendemus, cùm suo loco de contemplatione agemus.

Dubium II. An necesse sit omnes has sex partes simul facere? Respondeo; vtile quidem id esse initio, quò tempus hoc fructuosè & vtiliter impendatur: at non adeo id necessarium est, vt si orans se, verbi gratia, in præparatione (atque ita de reliquis partibus affectiuis dicendum) bene occupatum senserit, certum hunc affectum & pastum relinquere pro incerto, vel alijs sese partibus necessariò occupare debeat: Nota, Quando præparatio initio facta non est, eam necessariò in ipso orationis loco faciendam esse. Dubij huius & sequētis respon sio itē habetur dub 14.

Dubium III. Vtrum necessariò is seruandus sit ordo, quem hic posuimus? Respondeo, vtile quidem esse eum seruare, quamdiu anima á Domino aliter tracta & mota non fuerit; at, quando se primo velut impetu abripi & detineri senrit, verbi gratia, in petitione, vel oblatione, hunc illi sequi impulsum licere, etiam si nulla præcedat meditatio, ac

postea meditationi sese dare.

Nota, lectionem indifferenter institui posse tum ante, tum post præparationẽ. Nota præterea, minimè conueniens videri, vt post factam eam meditationem anima ad trium vltimarum partium affectiuarum ordinem illigetur, sed illi liberum esto, ei sese parti ante alias dare, in qua maximè affectum suum senserit excitari.

DE PRÆPARATIONE.

DVbium IV. An materia orationis antè præparanda sit, quám ipse orationis locus adeatur? Respondeo, præparandam esse. Sed hic notandus quidã est error, qui in ipsa præparatione interuenire nonnunquam potest. Cùm enim præparationis forma sit ea, quam suprá produximus, & in ea bonæ præparationis excellentia contineatur, in materia præparanda non raró contingit, vt, qui adeò practicus non est, metuens, ne sibi deficiat meditandi materia, in qua se in orationis loco occupet, multum temporis in præcogitandis antè multis conceptibus impendat, quos postea in oratione animo reuoluat, atque hoc pacto

ipſum orationis fructum nimio hoc diſcurſu amittat. Verùm in eo peccat, quin imo ſatius eſt, vt ſolitarum meditationū ordinem ſeruet, & aliquo tempore ſecum in cella conſideret, quo puncto magis permoueatur. Verbi cauſa, ſi hac veſpera illi ſit de inferno meditandum, obſeruet, quo ſe puncto magis moueri ſentiat, an pœnæ acerbitate, an Dei priuatione, an cruciatuum duratione perpetua, &c. det deinde operam, vt ſenſum hunc conſeruet, & cum poſtea tempore orationis reſumat, niſi fortè alio quodam è lectis puncto efficacius ſemoueri ſentiat. Neq; verò multi præparandi ſunt conceptus, vel argumenta, vt ea dein in oratione artificioſe repetantur; ſed cum ſumma humilitate & ſimplicitate hic procedendū: hoc enim pacto anima illuminatur, & á Domino per argumenta, & cogitationes, quas in ipſo orationis loco is inſpirare dignatur, confortatur. Similiter opus non eſt, ipſum, quem elicere vult, affectum magna arte antè præparare; ſi enim meditatio bona eſt & proportionata, ipſe per eandem affectus excitabitur. Et ſi alioquin verum ſit poſse eum & debere, non quidem ſemper, ſed interdum hic cum certo & deliberato propoſito proce-

dere, ſicut eliciendi, verbi gratia, affe-ctum doloris de peccatis, quando ad generalem confeſsionem inſtituendam ſeſe examinat, vel humilitatis, ſi quando ad ſeipſum magni faciendum, & de ſe altũ quid præſumendum excitatur, illorum nempè dierum meditationem ad contritionem, & humilitatem dirigendo, ſed dicitur hoc intentio potiùs, quàm præparatio affectus. Dixi, neceſse non eſse ſemper certum & determinatum aliquem affectum elicere: neque enim ſpiritus nimium conſtringendus eſt; ſed liberè euolare ſinendus, vt per meditationem ad bonos, ſalutareſque in genere affectus excitetur: ſi enim ſemel voluntas benè mota ſit, facilè poſtea quemlibet bonum affectum eliciemus, eam in hac concitatione ceu ceram aliquam ductilem, eò quò voluerimus, verbi gratia, ad peccati odium, & ad huius, vel illius virtutis amorem & ad huius vel illius paſsionis mortificationem, denique ad omne bonum ducendo & inflectendo.

DE MEDITATIONE.

DVbium V. Quid ſit meditatio? Reſpondeo, eſt quidam intellectus diſcurſus,

scursus, ad mouendam voluntatem spectans; vnde sequitur, non aliter eam adhibendam, quàm in quantum ad voluntatem mouendam necessarium est.

DE PRAESENTIA DEI, DEque Imaginibus.

DVbium VI. Quid est Dei præsentia: Respondeo, Est quędam mentis applicatio ad cogitandum de Deo idque vel imaginariè, vel intellectualiter, & per hanc applicationem benè & propriè dicimur eum habere præsentem. Nam etsi omni in loco præsens Deus adsit (quamuis fortè id ipsi non consideremus) non tamen eum habere præsentem, aut secundum sensum Sanctorum, in eius præsentia versari dicimur, nisi hanc mentis applicationem faciamus. Quando autem mentis applicatio fit nullis formatis imaginibus, id intellectualis Dei vocari præsentia solet, cùm autem aliquæ concipiuntur imagines, præsentia imaginaria. Et iuxta hanc doctrinam, aut cum imaginibus, aut sine illis meditatio potest institui.

De hac materia agetur in alio tractatu singulari,

Dubium VII. Quomodo Dei præsentia cuicunque materiæ, quæ in oratione

meditando percurritur, appropriari queat, ea inquam præsentia, quam sibi vnusquisque initio diei aut septimanæ ceperit? Respondeo, Quo ad hanc appropriationem necesse non est, vt orans magnoperè sese in artificiosa conuenientia & proportione materiæ, & præsentiæ Dei quærenda fatiget, sed satis est, vt eo se modo coram Deo præsentem fingat, quem eius diei Dei præsentia fert, atque ita de materia occurrenti meditari studeat, tanquam si coram ipsomet Christo consisteret. Si autem ipsa meditationis materia cum hac Dei præsentia coincidet, proportionaliter erit ipsa Dei præsentia puncto, quod meditandum est, accommodanda: at si non coincidat, satis fuerit supradictum respectum in Deo sibi præsentem fingendo habere: tempus alioquin sine vllo fructu in nuda speculatione, & non in oratione ex affectu fundenda impenderetur. Vnde responsũ hoc intelligi debet, quando meditationis materia de simili re non est (verbigratia, de Christo in quantum Deus, vel in quantum homo) sed de rebus alijs, puta de iudicio, morte, &c. Tunc enim suadeo, vt talis fingatur Dei præsentia, qualis occurrit, & de materia sua ita cogitet,

gitet, quasi si coram Christo versaretur. At si quis antè Christi columnæ alligati præsentiam elegisset, ac deinde meditari de Christo crucifixo vellet; tunc certum est, eum præsentiam & imaginem columnæ relinquere, & crucifixi capere debere.

Dubium VIII. Vtrum circa meditationem aliqua ad meditandum formari imago debeat? Respondeo, debere: nisi orans, postquam iam aliquam experientiam habuerit, & director concesserit, licentiam sine imaginibus formatis, sed intellectuali duntaxat Dei præsentiæ intendendo orandi habeat. Notandum esse aliquos, qui sibi imagines formare nequeunt, quibus vsui erit id, quod iam diximus, postquam scilicet bonam rei huius experientiam habebunt.

Hæc pars orationis maximam difficultatē habet.

Dubium IX. Num, qui fingere sibi imagines nequeunt, nisi imperfectè admodū, imagines relinquere, & tantùm præsentiam intellectualem habere studedere debeant? Respondeo, non debere, sed formatione illa imperfecta contentos esse debere, & tamdiu exercere se, donec aliud director & institutor suus consulat. Nam etsi nō benè imagines forment, imperfectus tamen ille modus satis illis est

ad perfectam orationem peragendam, ad quam necessaria non est, imò interdum nec conueniens perfecta harum imaginū efformatio. Præterquam, quod tutius & consultius sit, tam citò ad res intellectuales non descendere, imaginaria quatuor nouissimorum & humanitatis Christi Domini præsentia relicta.

Dubium X. Quomodo passionem Dominicam, & alias res imaginabiles meditari poterunt illi, qui nullam penè imaginem formare queunt, vel si quam forment, statim ab alijs impertinentibus imaginibus turbantur? Respondeo, breues illas figurationes satis ijs esse debere, & super ijsdem discurrere conari, neu de imaginibus impertinentibus multùm debere laborare: ita enim bona fiet oratio. Nec vitæ & passionis Christi considerationem esse ob inconstantiam imaginatiuæ, vel propter imagines ineptas omittendam. Deinde ac si quis cum alio, vespertino ingruente crepusculo, agens, etsi per tenebras eius effigiem distinguere nequeat, non tamen idcirco negotia sua cum eo tractare desinit. contentus eum præsentem habere, ab eo audiri, & respōsa ad negotiorum tractationem spectantia ex eius ore excipere.

Dubium XI. Num, quibus facile est quælibet ita mente sibi efformare, vt videre se illa existiment, formationem illam perfectã adhibere debeant? Respondeo, quòd non, sed hos suam viuacitatem & vehementiam illam temperare, nec verbi gratia in lineamentis vultus Christi, alijsque particularitatibus minutis efformandis multum occupari, sed rudi quodam modo & imperfecto contentos esse, & ipsis potius partibus, actibusque orationis intendere debere. Hæc alioquin imaginationis perfectio multum ijs noceret, & interdum indubitatè certoque sibi persuaderent veras se visiones, & reuelationes habuisse, cùm potiùs imaginationes quædam crassiores & illusiones diaboli sint, qui id genus hominibus diuersimodè illudere consueuit.

Dubium XII. Num imagines debeant apud, vel iuxta, an verò procul ab homine formari? Respondeo, si rem in se, prout est, inspiciamus, satius multò esse eas effingere apud se, vel intra se, quod id ad interiorem recollectionem magis faciat. Verùm aliqui difficultatem in hoc sentiunt, & ipsa experientia demonstrat, etiam alijs modis bonam fieri orationem posse. Atque ideo quisque apud se expe-

riatur, quænam orandi ratio maiorem illi fructum adferat, cuius rationem instructori suo reddat, modumque eum sequetur, qui magis sibi conuenit.

Dubium XIII. Num vtile interdum sit, formatam sibi imaginem, verbi gratia Christi Iesu Domini nostri, fixè firmiterq; sine vllo mentis discursu intueri? Respondeo, interdum id faciendum esse, quando scilicet voluntas iam inflammata est; ita tamen, vt sincerus, humilis, & affectuosus is intuitus sit: quod ad affectum magis excitandum conferre solet. Sed aduerte, consultum non esse, vt ij, qui perfecta imaginatiua pollent, vti diximus, violenter oculos in illam imaginem defigãt, vel oculos eius, os, &c. fixè intueri assuescant; sed satis illis esse indistincta illa præsentia debet, vti iam antè diximus. Nota præterea, quod diximus, quando accensa iam voluntas est, consultum esse interdum fixè Christum Dominum intueri; ita id intelligendum videri, vt parumper ipse discursus & actuum frequentia tunc interrumpatur; non ita tamen otiosè interquiescendo, vt orans suspendere mente se ipse velit, ac velut obdormire, ad Christi præsentiam non respiciendo. Hoc namq; stultitiæ quædam spe-

cies

cies foret, cùm suspensiones mentis per nostram nobis non obueniant diligentiam & conatum, sed per solam gratiam, quando scilicet eas Deus concedere fuerit dignatùs.

DE MOTIONE AFFECTVS.

DVbium XIV. Num, quando anima efficacius, magisque se per alia puncta, quæ ad præstitutam materiam & discursum, quem in oratione facit, minime spectant, moueri sentit, ab ijsdem se trahi sinere debeat? Respondeo id fas esse, si modò puncta ea pia sint & vtilia (quod præsuppono) hæc namque motio signum est, Dominum animam in re alia magis importanti, quàm sit illa, quam meditabatur, reficere ac pascere velle. At si motiones illæ frequenter iam contingerent, & animaduerteret homo, sibi, post feruorem hunc motus, quem sentit, nullum inde aliud bonum manere, & exiguum inde sibi sequi lucrum, facilè se attrahi ijs non sinat: perdet enim continuum orationis discursum, qui & intellectui illuminando, & voluntati solidè conuincendæ & mouendæ mirifice prodest, ac quasi panis quotidianus est, qui animam

sustentat. Qui huiusmodi quid in se percipiet, nihil hic aggrediatur, quin antè suum directorem consuluerit.

Dubium XV. Quid faciendum, quando percipit homo suam in meditatione voluntatem non moueri? Respondeo, si hæc statim non moueatur, aliquantulum adhuc esse in meditatione pergendum, & Deum orandum, vt cum hoc affectu concurrat: at si, verbi gratia, medium horæ orationi præscriptæ tempus elabatur, ipsa meditatio infructuosa relinquenda est, & aliud quodlibet punctum aut consideratio assumenda, erga quàm anima afficitur, certa cum spe secuturæ motionis, aut potiꝰ ad vltimas orationis partes, gratiarũ actionem scilicet, oblationem, ac petitionem, tametsi nulla in ijs sensibilis deuotio sentiatur, progrediendum. Sunt enim hi veri virtutum actus, & orationis finis ac fructus, & hæc voluntatis motio, quæ modo quodam sensibili sit, necessaria omnino non est, & sæpius non conueniens. Doctrina hæc locum habet, quando quis tentatus est, & discursum formare nullum potest: qui proinde se geret, vti dum voluntatem meditatio non mouet, nec affectus vllos elicit. Nota, per voculam Affectus in hac materia nostra intel-

ligi & significari quemcunque voluntatis actum, qui cum aliquo eiusdem motu, vel calefactione producitur. Intelligi quoq; per vocem affectus quemlibet appetitus sensitiui actum, qui alio nomine dicitur Passio, eò quod cum aliqua commotione corporis, vel immutatione producatur. Oratio affectuum voluntatis officina est, qui vel soli, vel cum actibus appetitus sensitiui produci & enasci solent. Vnde sequitur, dum aliquis cum ariditate orat, & nihilominus bonos actus & proposita volũtate facere contendit, eum propriè dictos affectus non elicere, multos alioquin bonos actus magni meriti facere.

Dubium XVI. Quid faciendum, quando meditatio statim vel breuiter quidem affectum commouet, sed statim etiam is refrigescit? Respondeo, eum resumendũ esse, & secundò vel sæpius ignem inflandum. Hic verò vtile fuerit, breues illas meditationes vltimis partibus affectiuis intermiscere, itaque ceu ignem sæpius folle sufflare, & flammam excitare, & statim atque exstinguitur, iterum sufflare. Nota, aliquos esse, quibus exigua opus sit ad affectum mouendum meditatione: in aliquibus quidem id ortũ habere potest,

quod præcedentium meditationum frequentiori exercitio voluntas iam facta flexilis sit, & facilè mobilis: quod quoddam virtutis est argumentum. In alijs verò prouenire id potest è naturali conditione & debilitatis, imbecillitatis, & exiguæ firmitatis animæ signum esse solet. Primi benè faciunt, si parum meditentur secundi non benè, nisi in conuersionis suæ initio vim sibi aliquam satagant inferre, vbi primum sese orationi dare incipiunt. Rei huius ratio est, quia sicut subitò & statim commouentur, toti se suspirijs & planctibus, quæ parum vtilitatis adferunt, occupant, & de punctorum, quę ad virtutem mouent, consideratione parum laborant: quod locum habere non potest in ijs, qui postquam debitum tempus & locum considerationi materiæ dederunt, quandam sibi facilitatem ad affectum mouendum comparant: quod in primis notandum est.

Dubium XVII. Quid facere oporteat, quando vi meditationis affectus multum accenditur? Respondeo, commotionem sensibilem temperandam esse, præsertim in incipientibus: eo quòd id capiti & pectori noceat, nec spiritui aliquem profectum adferat, nec hominem virtutum, aut

vitiorum cognitioni, nec Sanctorū imitationi attendere ſinat. quæ omnia intellectum requirunt,& non ſolum affectum.

Dubium XVIII. Quid faciendum, quando nec per materiam præparatam; nec per ea, quæ in oratorio leguntur, affectus mouetur? Reſpondeo, poſſe & debere aliud quodcumque punctum ſumi, in quo aliqua ad res diuinas motio inueniatur. Vt ſi, verbi gratia, hodie de morte meditatio inſtituitur, & me ipſe non poſſum ad partium affectiuarum (quæ ſunt orationis fructus) exercitium excitare, & magis me conſideratione Chriſti crucifixi mouendum videam, etiamſi dies illi meditationi deſtinata non ſit, non malè faciam, ſi de illa re cogitem. Idem fieri poteſt, quando (ſuppoſito materiam præparatam eſſe) initio orationis aliud ſeſe offert punctum vel materia, ad quam voluntas magis propendet.

Dubium XIX. An, quando per bonum aliquem affectum in meditatione voluntas mota eſt, & oranti hic affectus magis inflammandus videtur, ſi amplius ſuper hoc diſcurreret, quin & inclinari ſe ſentit ad pluribus ſuper eo diſcurrendum, an id illi faciendum ſit? Reſpondeo, quod non, ſi nimirum ipſa motio competens & con-

ueniens sit: quia supposito eum pabulum sufficiens inuenisse (qui finis est meditationis) certum non est propter incertum, & finis propter media relinquendus, sed partium affectiuarum & vltimarum orationis actibus attendendum. Responsio hæc bona est & vtilis, non tamen idcirco scrupulum sibi mouere anima debet, si interdum, voluntate iam mota, vlterius in discurrendo pergat, quò magis inflammetur: fieri enim potest, vt hoc illi benè succedat; si verò comperiat, parum sibi id successisse feliciter, erit vt hinc in posterum discat esse cautior.

Dubium XX. Quid agendum, quando ipse in Deum affectus quidem mouetur, non tamen in vllum particulare, eius causa suscipiendum, obsequium sese inclinare sentit? Respondeo, Illarum rerum proposita, & actus particulares facere orans debet, in quibus maiorem sentit difficultatem, nec non diuersos virtutum actus. v. g. spei, amoris, &c. adeò vt affectus quem erga Dominum sentit, ita illo pascatur, vt semper magna quædam, eius causa, si quando posthac futura occasio est, facere intendat.

Dubium XXI. Vtrum, qui meditari duo aut tria puncta vult, & particularem

quamdam in voluntate motionem inter discurrendum non sentit; expectare debeat, vt simul in fine discursus supra tria illa puncta affectum eliciat, an verò è singulis eum elicere debeat? Respondeo, tam diu eum discurrere debere, donec ad certum aliquod peruenerit signum (quale verbi gratia esset, media orationis hora vel circiter) experiendo, num aliquo horum punctorum moueatur, Si tunc quidem voluntas non moueatur, ad vltimas partes affectiuas orationis tametsi ariditatem sentiat, attendat, quod hæ partes quidam sunt actus virtutum, ad quos illa motio, quæ exspectatur, vti sup. Dub. XV. dictum est, non est necessaria. Sed si prima media hora affectus excitetur, etiam cùm adhuc supra primum punctum discurritur; satius est discursum penitus abrumpere, & affectui parando intendere. Nota, circa hoc dubium incipientes errare solere sibi persuadentes, necesse esse violenter affectum elicere, suam quodammodo animam exprimendo, sicut vua è botro exprimitur. Sed non sic id intelligendum est, nec faciendum, sed danda opera, vt suauiter discurratur, & anima recolligatur, quò ipsa moueatur; nec est necesse violentia aliqua affectum elicere;

cum voluntas rationibus soleat, non verò vi aliqua corporali moueri.

Dubium XXII. Quid agendum, quando voluntas ad bonum aliquem affectum vel alicuius virtutis desiderium mouetur? Respondeo, multa oranti proposita facienda ad labores aliquos, quibus eam acquirat, suscipiendos, aliquas sibi occasiones excogitando, quas probabiliter putat eidem exercendæ euenturas. & animosè viriliterque illas superare difficultates proponendo, quin etiam instanter illi ad hanc acquirendam auxilium à Deo Opt. Max. petendum, atque in his actibus diutinis poterit occupari.

Dubium XXIII. Num in meditatione de passione Dominica vtile futurum sit, illo in puncto diutius hærere, in quo aliquem bonum elicere in singulari affectũ posset? Respondeo, inprimis consultum esse, in quocunque puncto, è quo bonus aliquis nascitur affectus, diutius hærere: non tamen probari, si vim sibi orans faciat, vt è quolibet puncto affectum velut violenter expressum eliciat, sed meditatione continuata duos eum fines intendere debere: Quorum vnus sit, intellectum illuminare, alter verò, affectum inflammare. Vbi ergo affectum particula-

rem elicere voluerit, non inutile fuerit interdum huc meditando respicere. Verbi gratia, quando de præteritis peccatis meditatio instituitur, intendere meditans debet, vt affectum contritionis eliciat: si autem circa improperia Christi versetur meditatio, humilitatis intendendus affectus est. At si postea alij boni affectus inexpectati subnascantur, non erunt illi reijciendi, sed illorum adminiculo quædam proposita facienda, ad in genere operandum, & in puncto particulari, quod occurrit, propositum contritionis, humilitatis, &c.

Dubium XXIV. De aliquo passionis mysterio, puta de vulnere lateris Christi meditans me rogabit, quomodo in materijs aliquibus particularibus, quæ earum. quas sibi acquirere decreuit, virtutum motiua continere, nec daturæ vidētur, humilitatis & modestiæ affectus eliciet: hi enim dum in oratione hinc inde anxiè emendicantur, distractionis esse solent causa? Respondeo, id genus diligentias non esse ad propria illa motiua inueniend a adhibendas, ita enim tempus vt plurimum inutiliter perdi: at si circa talia passionis Dominicæ puncta, vel aliud quodlibet obiectum materia versetur, in

quo no facile propria hæc motiua homo inuenit, communibus vtendum esse. verbi causa: si modestiam acquirere velit, & meditatio circa vulnus lateris Christi versetur. Constat porrò mysterium hoc vulnerationis lateralis, vti & omnia alia mysteria, ad sanctificationis nostræ finem à Christo Domino ordinatum fuisse, ad quam vt ipsi perueniamus, modesti, humiles, &c. simus oportet. Qui porrò particulares aliquas rationes hic facilè inuenire non potest, eum saltem adhibeat finem, quem habuit Christus, in quo cùm modestia, tum alia quælibet virtus includitur, simulque aliquot modestiæ exercẽdæ actus faciat, vt Christi aliquatenus intento finiq; satisfaciat, deniq; ex animo, feruenterque modestiam, & alias virtutes ab eo efflagitet.

Dubium XXV. Num eos, qui afflicti & tribulati sunt, satius sit inter orandum sese in vulnerato Christi Domini corde constituere, & ibi immensam illius pietatem considerare, quàm in aliquo alio mysterio è magis conuersationem excitantibus, quo eiusdem doloribus compatiatur, & vires inde eiusdem imitandi colligat, inhærere? Respondeo, Certior hic dari regula nulla potest, quam ipsa

experientia: adeò vt probatio hic & exploratio aliqua præmittenda sit. Id autem vnicuique mysterium magis vtile futurũ, in quo plus lucis & affectus realis ad Christum imitandum inuenturus sit. Cauendi verò hic sunt quidam orandi modi planè fœminini, & parum decentes circa vulnera Christi Domini, quibus scilicet homo certa quadam ratione, & nimis familiaribus actibus in illa sese ingredi fingit. Bonam autem deuotionem semper magna comitari debet reuerentia.

Dubium XXVI. Num, quando in omnibus alijs obiectis, præterquam in vno (verbi gratia, in cœlestis gloriæ consideratione) deuotio non sentitur, alia omnia, illi soli intendendo, relinquenda, & seponenda sunt? Respondeo, bonam rei huius antè faciendam experientiam: ac si manifestè orans videt, vnum illud obiectum cùm ad virtutum acquisitionem, tum passionum mortificationem, & ad obediendum, ad sese humiliandum, &c. sibi seruire (vti reuera aliquibus seruire solet) regulariter ad illud tunc attendendum esse, nec aliorum considerationem planè omittendam; sed interdum eam adhibendam, vt hoc pacto rerum spiritualium notitia comparetur; quas, qui ita

feceiit, magno cum calore & feruore, quem in vnico illo puncto, à quo mouetur, inuenit, exequetur.

Dubium XXVII. Num, qui pœnas infernales meditatur, suæ intermiſcere meditationi meditationem de gloria cœleſti, aut ſimiles poſſit? Reſpondeo, id licere; quando nimirum hæc miſtura ad voluntatis motum conducit; vti reuera poteſt & ſolet, dum certo quodam modo à pœnis infernalibus ad æternam conſolationem meditans ſalit, cum qua ſi pœnæ ſempiternæ comparantur, melius eę percipientur. Idem & de alijs caſibus dico; ſic dum de propria vilitate & miſeria meditatio inſtituitur, diuinæ ſimul magnitudinis, maieſtatis, bonitatis, & miſericordiæ conſideratio intermiſceri poteſt.

Dubium XXVIII. Num illud orationis genus, quod nonnulli docēt, non pè ſimpliciter meditandum eſſe, quomodo melius quis Domino ſeruire, ſancta eius pręcepta obſeruare, probè officio ſuo fungi, & ſtatus ſui obligationibus ſatisfacere poſſet, omni hominum generi indiſcriminatim conſulendum & vſurpandum ſit? Reſpondeo, conſultum eſſe, omne omninò hominum genus ad quatuor hęc puncta, vel

cta, vel capita attendere, & eos, qui in oratione motos se comperient, actus, & proposita facere, quatuor his punctis attendendi, & gratiam à Domino ad eadē postulandi. Verùm doctrina hæc satis non est, vt pœnam norint sufficienter ij, qui nullū adhuc assumpsere vitæ statum, quid sibi hic agendum sit, nisi ad particularia aliqua puncta descendatur, & quidam orationis ijs, tum quantum ad formam, tum quantū ad materiam faciendæ modus præponatur, vnde necesse quandam ijs ex arte methodum, nec non ipsas orationis partes ordinatim dare, quin ipsam eius materiam præscribere, à quatuor nouissimis, & vita, & passione Domini nostri Iesu Christi communiter incipiendo. Hac autem doctrina præsupposita nō inutile fuerit vnumquemq; quatuor supradictis punctis intendere: vti reuera & realiter faciunt omnes illi, qui verè & sincerè sancto orationis exercitio incumbūt: ita enim hi rebus supererogatorijs attendunt, vt tamen eorum prima & principalis cura sit de obligatorijs, ad quas quatuor propositorum in dubio punctorum tria referuntur.

Dubium XXIX. Si is, qui iam meditationi de beneficijs diuinis assueuit, & pla-

nè perſpicit, quidquid ad ijs aliquo modo reſpondendum vel facit, vel hactenus fecit, vel faciet poſthac, vel facere poterit, nihil prorſus eſſe; ſi is inquam petat, melius ne ſit, incumbere meditationi, vt exinde ad contemplationem perueniat, & affectus elicere; an verò eo tempore in variis virtutum actibus, puta gratitudinis, charitatis, &c. concipiendis ſeſe exercere, gratiam tum ſibi, tum alijs petendo, & ſeſe offerendo? Reſpondeo, ſi talem is iam habitum compararit, vt per præteritas conſiderationes vel meditationes ita ſit eius intellectus illuminatus, vt quamprimum ſe ad orandum componit, liquido perſpiciat moueri voluntatem incipere, eum communiter tempus orationi deſtinatū huiuſmodi actibus faciendis poſſe impendere, cùm per ſuperiorum meditationum laborem iam finem & fructum meditationis (qui ſunt dicti illi actus) adeptus ſit. Debet nihilominus ſæpius continuatiuè meditari, non tam ad affectum aliquem acquirendum, quàm ad virtutum puncta ponderanda (v. g. dum vita Chriſti Ieſu Domini noſtri meditatur) & vt illas imitari ſtudeat.

Dubium XXX. Num, qui in meditationis principio ab aliquo ſe trahi ſentit af-

fectu, qui tamen à meditatione lecta diuersus sit, idque sine vllo prorsus mentis discursu, qui tamen non adeò diu duret; num is inquam ad breuem ac tenuem illum affectum ruminandum redire, aut potius materiam lectam resumere debeat? Respondeo, si id rariùs eueniat, affectum illum ruminare potest, & per eum partes affectiuas, & vltimas orationis, quamdiu durat, facere, idque, vt boni, quod huiusmodi affectus adfert aliquam notitiam comparet: qui interdum etiam continuatæ orationis loco esse potest, maximè quando se eum resumendo sentit inflammari. At si sæpè id contingat, & calorem hunc statim euanescere comperit, nihilq; aliud inde sibi sequi, debebit materiam lectam, vel præparatam meditari: alioquin se ipse intellectus illuminatione, quæ è meditatione sequitur; & impressione fundata, quam in voluntate bona meditatio facit, priuabit. Vbi verò affectus hic sæpè contingit, erit is cum directore communicandus: circumstantiæ namque possunt esse eiusmodi, vt bonum sit sæpiùs, vel rariùs, diutiùs, vel breuiùs similibus affectibus intendere.

Dubium XXXI. Num in ipso meditationis discursu, præter illas materias, in

quibus circumstantiæ considerantur, alios anima discursus, & verba ad ruminandum, & voluntatem per puncta præparata mouendam quærere debeat; vel nuda solùm horum punctorum verba repetere & resumere, donec affectus emoueatur? Respondeo, necessarium non esse, vt se homo ad illa solûm verba repetenda constringat, sed tam illis, quàm omni alia cogitatione, quæ ad affectum circa puncta præparata mouendum seruiat, vti posse.

Dubium XXXII. Num ad bonos affectus ex oratione eliciendos necesse sit ita circumstantias meditari, & eo ordine, quo aliqui tradunt (videtur enim ariditatem potius hæc anxia cura causari) vel tantùm simpliciter procedere? num item necesse sit, omnes simul considerare; quia interdum fit, vt vel vna duntaxat cor accendat, & qui vlteriùs ad alias progredi vult, bonum illum affectum amittat? Respondeo, in circumstantiarum consideratione non est opus certum aliquem ordinem seruare, sed tam has, quàm illas promiscuè & indifferenter, prout sese animæ offerunt, & prout hæc erga vnam magis quàm alteram afficitur, accipi posse. Similiter non est necesse omnes simul

conside-

considerare, sed illam & illas tantum, quas reuera sufficientes nouerit ad affe-ctum inflammandum.

Dubium XXXIII. Quis passionem Dominicam meditandi modus fructuo sus, & suauis sit ijs, qui omnes in eadem circumstantias perpendere non valent, & propter rationis vehementiam nullum ex illa affectum, aut nonnisi magna cum difficultate, & corporis & animæ defati-gatione elicere queunt? Respondeo, bo-num erit, si sibi leniter Christum Domi-num sua in passione constitutum ob ocu-los ponant, nullam vt capiti vel pectori vim inferant; & magna cum simplicita-te; magna quoque reuerentia & gratitu-dine illi adstare velint pro eo, quod pro ipsis passus est, illum comitari & stipare; quin & sæpenumerò adorationis, amo-ris, gratitudinis actus excitent, illumque ex corde rogent, vt hos dolores suos in a-nimabus ipsorum imprimere dignetur, quò vnà cum ipso pati, & ferre aduersa cupiant. aliquando etiam maiestatem di-uinæ illius personæ, & peccatorum suo-rum, pro quibus patitur, suauiter graui-tatem recordentur: orationem deinde cum firmo pro eodem patiendi proposito concludant. Qui hoc modo orant, medi-

tationem

tationem simul cum partibus affectiuis coniungunt, ita vt meditans defatigatus non segnescat. Et id facere vtile est, licet nullam deuotionem sentiat.

Dubium XXXIV. Quomodo affectus in oratione dilatari, & magis excitari debeant? Respondeo, in affectuum ampliatione vel dilatatione cauendũ, ne artificiosè, & de industria illi conquirantur, sed ita recipiantur, prout Dominus illos communicare dignabitur; qui per simplicitatem, & voluntatis abundantiam potiùs, quàm arte rhetorica fouendi sunt, multos virtutum actus, & benè viuendi proposita, interim dum affectus durat, prout Dominus inspirarit, concipiendo.

Dubium XXXV. Quomodo boni affectus conseruari, & bona proposita in oratione concepta executioni mandari poterunt? Respondeo, fiet id, si sæpe per diẽ eadem resumantur, exerceantur, & per ordinariam pro die illo Dei præsentiam, vel alium quemlibet, quo cor ad Deum eleuetur, modum, quem faciliorem sibi anima esse senserit, confirmentur. Ad hanc etiam conseruationem non parum facit, vt sedulò caueat, ne per incautos aspectus, & inutilia verba anima sese dif-

fundat.

fundat. Vt verò proposita concepta executioni mandentur (si quidem circa ordinariam obseruantiam actus virtutum, vel passionum mortificationem versentur, quæ nimirum ad ordinarium illum ad perfectionem tendendi modum, quem boni habere Religiosi solent, referuntur) nihil homini aliud præcipiendum est, quã vt Domini gratiæ cooperetur, & difficultates perfringere, & magno illo feruore & æstu, quem in oratione acceperit, omnibus vti occasionibus contendat, Christo Domino se fidelem exhibere satagendo. Si autem concepta proposita circa extraordinaria quædam opera versentur, cũ superiore eadem erunt communicanda, vt is modum, si id ita illi expedire visum fuerit, eorundem exequendorum præscribat, adeò vt voluntas, quantum erit ex parte sua, ad hoc prompta sit & parata.

Dubium XXXVI. Quomodo sese habebit is, qui quòd virtutum actus, quos in oratione concipit, hinc inde emendicare cogitur, distractum se & exiguum fecisse fructum inuenit? Respondeo, in Religiosa vita vnumquẽq; facile, quanam potissimum virtute opus habeat, è quotidiana experientia, & assidua in perfectione pro-

ficiendi solicitudine nouisse. Vnde neces-
se non est, vt, hinc inde euagando, diuer-
sos virtutum actus emendicet, si quando
idcirco mentem suam distrahi comperit:
sed eas primum arripere studeat, quas sibi
ante alias opus esse comperiet, illarumq;
actus vel cum deuotione, vel sine eadem
faciat. Ita enim nec diuagabitur, & ve-
ros virtutum actus cum minori distractio-
ne exercebit. Vbi autem sese deuotum
senserit, aliquot ex illis exerceat actibus,
erga quos per affectum prædominantem
se sentiet inclinari; item ex illis, quos
(sicut dictum est) certissimo nouit plus
cæteris sibi necessarios esse, itaque vanè
sese in alijs conquirendis non distrahen-
do, ne scilicet anxia hæc inquisitio om-
nem affectum elidat & elumbet. Pote-
rit item & alios virtutum actus formare,
si per eos se minime distrahi comperiat.

Dubium XXXVII. Quid faciendum
illi, qui ob exiguam, quam recipit volun-
tas, fortitudinem se ad nulla virtutum
proposita producenda resoluit, cognito
ante se eadem non obseruaturum? Re-
spondeo, erroneam hanc conscientiam
deponendam esse, & aliquot horum actu-
um faciendos, cum per gratiam Dei il-
los exequi se posse norit, & suam Deum

gratiam illi minime negaturum, modo diuinis ipse auxilijs cooperetur; adeo vt nostra hic fragilitas obstaculo non sit, cū omnes virtutum actus per auxilium & robur, quod diuinitus datur, exerceantur. Constabit hoc magis, si præteritam quisque vitam in mentem reuocet, nec non victorias diuino auxilio de vitijs, quæ superari non posse videbantur, relatas. Quid ni ergo minores difficultates diuina speret ope expugnandas, cum eadem iam longè maiores perfregerit.

Dubium XXXVIII. An sensus & motiones voluntatis, quæ in oratione obueniunt, annotandæ sint? Respondeo, annotandas videri, quo illarum directori ratio reddatur, non tamen antè determinatum aliquod de ijsdem iudicium ferendum, quam eosdem ipsa dijudicet obedientia. Et hac in parte fidelissimi sint oportet ij, qui orationi dediti sunt, nunquam vt suo vnius iudicio nitantur ac fidant. Nota, cum voluntas efficaciter rationibus aliquot prægnantibus mota est, non inutile fore has per aliquot dies repetere, & eadem puncta è Magistri directione ac consilio meditari.

Dubium XXXIX. Quænam vt plurimum in meditationem accipi materia

debeat? Respondeo, ordinariè à solis quatuor Nouissimis, vel à sola vita & passione Domini nostri Iesu Christi, vel etiam à duabus illis materijs simul, in ipso principio (sed horis distinctis) incipere, ac deinde ad diuinitatis mysteria transire debet. Sed quia multæ ac variæ in hominibus orationi addictis sunt circumstantiæ, vnusquisque directorem suum spiritualem, ne in materiæ in particulari electione erret, consulat necesse est.

Dubium XL. Quid faciendum, quando meditationes, quæ ordinariè in orationem eliguntur, aliquod, quod semper vnæ & eædem sint, fastidium generant, ac consequenter exiguum adferunt meditanti fructum? Respondeo, aliam ex consilio directoris ad meditandum capi materiam posse, cauendo ne fastidium ac nausea hic irrepat. Nam meditationum, prout à nostris Religiosis disponi & distribui solent, secundum dies hebdomadæ, distributio commodissima est, ad præcipua, quæ Incipientibus & Proficientibus conueniant, puncta perfectè meditanda: atque idcirco sæpius eadem repetenda & recogitanda, quo penitus illæ penetrentur, & bonum solidumque in fabrica spirituali fundamentũ collocetur.

Dubium X L I. Num inter meditandum sit semper in secunda persona cum Christo Domino loquendum? Respondeo, hunc alloquendi modum planè necessarium non esse, etsi sæpius ita id fieri conueniat. Vtile proinde erit, vt vnusquisque seipsum hic probet, & eo loquendi vtatur modo, qui illi ad affectum excitandum plus conducat. Aliàs siquidem quis magis excitabitur loquendo cũ Domino, aliàs si secum ipsa anima loquatur; aliàs etiam punctum quod meditatur ponderando, etsi interim nec cum Domino, nec secum loquatur.

Dubium XLII. Num bona sit meditatio, quando plures sunt conceptus, & longior est meditatio? Respondeo, hanc vt plurimùm orationem exigui momenti esse, quod longè secùs ac Christus Dominus præcepit, multiloquium hæc oratio contineat, nec vltimatis orationis partibus, quæ meliores sunt, vllum tempus detur. Bona autem oratio pauca continet verba, sed desiderij erga Deum plurimum. Bonum nihilominus esse orationis genus solet, quando ita in longum meditatio protrahitur, vt simul illi multi intermisceantur affectus, qui ceu scintillæ, ipsa rationum, quibus volun-

tatem intellectus accendit, vi elicitæ prorumpunt & emicant.

Dubium XLIII. Num inter meditandum vocales aliquot orationes, quæ proposito quadrent, & ad materiam faciunt, legere fas sit? Respondeo, quòd sic, quando nempe priuato in oratorio oratur, & orationes hæ vocales ad affectum excitandum seruiunt; non autem quando in communi loco & publicè oratur, nisi fortè labiorum esset motus tam quietus, vt nemo adstantium eum audire possit, & orans ab hac se verborum prolatione ad affectum excitandum adiuuari sentit. Nota, multos homines spirituales simul & vocaliter & mentaliter, quando soli sunt, orare, & cum magno animæ suæ fructu alta voce loqui.

DE ARIDITATE.

Dubium XLIV. Quomodo is, qui in principio orationis magnam in sese recolligendo sentit difficultatem, gerere se debeat? Respondeo, humiliet se, & Dominum precetur, gratiam sibi in hoc loco iuxta diuinæ voluntatis suæ beneplacitum manendi præstet. adhæc qualibet re pia, quæ suo iudicio recollectionem

interiorem causari nata est, vtatur; qualis, verbi gratia, est orationem Dominicam, vel aliquem è Psalmis versiculum repetere, nec non aliquam Christi vel sanctorum vel mortuorum imaginem in memoriam reuocare; denique aliud quodcunque in genere recollectionis motiuum, itaque se suauiter recolligere, vt anima se horum obiectorum alicui firmiter alliget, aut saltem à distractionibus sese reuocet, quo de materia sua præparata meditetur.

Dubium XLV. Quomodo ea se anima in oratione geret, quæ summam quandam difficultatem sentit, vt vel vnum cum Deo loquatur verbum; idque propter odij, impietatis, blasphemiæ & diffidentiæ, & alias multas, quibus eo tempore exagitatur, tentationes, vel etiam scrupulorum, aliasque id genus, quæ impediunt, quo minùs Domino Deo sese applicare queat. Respondeo, Anima hæc primò Domino dicat, id se tentationum genus pro nominis eius gloria, modo quo poterit meliori tolerare paratissimã. Secundo, pactum quoddam cum Domino ineat, asseratque se iam inde ab hoc momento velle, vt hæ odij, blasphemię, &c. tentationes contrarium penitus

habeant ſenſum, quin immò velle, vt hæ totidem ſint oblationes & ſpiritualia ſui. ipſius ſacrificia. Tertiò licet id maxima cum pœna fiat, quædam ſubinde verba, vel vocaliter, ſi ſola ſit, vel mentaliter, ſi adſint alij, dicat, quæ in laudem & gloriam Domini tendant. Quartò, aliquot adorationes faciat, vel ſpirituales, vel corporales, pro locorum ac ſociorum, vbi, & apud quos fuerit. diuerſitate. Quintò, actus hi, vti & patientia & reſignatio, in animabus grauiter afflictis excellens quoddam orationis genus ſunt.

Dubium XLVI. Quomodo ſeſe habebit, qui tempore orationis tentationes ſentit parum honeſtas, etiam circa orationem? Reſpondeo, qui ſic vexatur, non eſt quod propterea angatur aut torqueatur, ſi modo caſtè & circumſpectè viuat. Solet enim dæmon etiam circa obiecta puriſſima & ſanctiſſima, verbi gratia, ipſam Ieſu Chriſti Domini noſtri humanitatem & Beatiſſimam Virginem Mariam, de ſuo offendicula & ſcandala interijcere: vt etiam interdum inordinatæ quædam ſentiantur voluptates & motus, & aliqua humoris ſequatur etiam effuſio. Qui id genus afflictionis patitur, ad directorem ſuum ſpiritualem remedij

causa

causa confugiat, & eis, quæ ipse consuluerit, pareat. Ijs autem, qui hoc modo exagitantur, consulendum est, vt obseruent diligenter, num in alijs obiectis aliquem animæ gustum & bonos affectus inueniant: eo enim casu *ordinariè abstinere id genus obiectis deberent, è quibus inordinati hi mot⁹ enascuntur: at vbi experientia constat, nullum animam gustum & delectationem inuenire nisi in illis, è quibus tales motus exoriuntur & excitantur; signum est, meram id dæmonis tentationem esse, ad hasce animas vexandas suggestam. Talibus igitur personis consuli solet, vt huiusmodi motus & immunditias contemnant: ita enim fiet, vt eo facilius illæ abituræ sint.

* Nota hoc verbū ordinariè: sunt enim casus & circumstantiæ personarū, in quib⁹ aliter fieri queat; cum scil. re ipsa apparet, hāc ꝓhibitionē nocere, & persona ipsa casta ē.

Dubium XLVII. Num si in oratione, quæ extra communitatem & priuatim fit, Religiosus sibi persuadeat, aliquid sese boni cogitare non posse, statim eam abrumpere & relinquere, & aliud exercitium assumere debeat? Respondeo, probet antè se & experiatur: &, si deinde comperiat, ita sibi ordinariè contingere, pios libros legere poterit, atque in ijs sese punctis detinere, quæ maioris sibi efficaciæ, quam diu hic feruor durat, videntur; qui vbi deferbuerit, priorem le-

Lege tractatum de discre-

ctionem resumere. Itaque faciet orationem lectioni mistam.

tione spiritu-um, n. 32.

Dubium XLVIII. Quid faciendum, quando capitis dolore laboramus? Respondeo, suauiter tunc orandum esse, nec tanta applicatione intendendum, quanta dum caput rectè sibi constat: quare si difficultatem tunc in discurrendo sentimus, vel etiam mentem planè colligere nequimus, satis nobis sit humiliter coram Domino versari, aliquot diuersarum virtutum actus eliciendo: sic namq; faciendo, satis debito fecerimus. Doctrina hæc seruire etiam poterit ijs, qui vel naturaliter, vel ob casum aliquem accidentarium, vti è morbo vel doloribus interioribus, vel tentationibus vel defatigationibus, vel alia qualibet de causa nequeunt discurrere.

Dubium XLIX. Quomodo nos geremus, dum nihil nobis occurrit; quod moueat, sed magnam in omni re ariditatem experimur? Respondeo, ariditas è diuersis oriri causis solet; & iuxta illarum diuersitatem diuersa adhibenda sunt remedia. Causæ igitur eius ad has sequētes reduci solent. Prima sunt imperfectiones, secunda multitudo rerum agendarum; tertia, naturalis habitualis indispo-

ſitio ex incõſtantiſſima imaginatiua pro-
ueniens; quarta, naturalis accidentalis
indiſpoſitio, cuius origo eſt ipſa humo-
rum reuolutio, tempus, &c. quinta dæ-
monis tentatio; ſexta, Dei ordinatio, qui
hoc ad ſeruorum ſolet ſuorum probatio-
nem diſponere, etſi omnem ex ſe alio-
quin ipſi diligentiam adhibeant, & ma-
gna puritate viuant; ſeptima, quidam
prædictarum cauſarum concurſus, quæ
aliquando, licet raro, longo durare tem-
pore ſolet. Primæ itaque mali huius cau-
ſæ remedium promptiſſimum eſt: cum
enim hæc ſint imperfectiones, quæ vi-
dendo, loquendo, & parum mortificatè
viuendo committuntur, non parum con-
ducet, iiſdem quàm maximè abſtinere.
In ſecunda, ipſa ſcilicet negotiorum, eti-
am ex obedientia iniunctorum multitu-
dine, vtile erit cautè viuere, atque in
medio negotiorum æſtu, maximæ cor-
dis ſui cuſtodiæ intendere, ſæpè ipſum
ad Deum ſuſtollendo, ne id in operando
agendoque totum abſorbeatur, & valdè
diſtrahatur; quin etiam omni qua poteſt
ope & niſu in ipſo orationis loco animæ
vires colligere ſtudeat. & ad Dominum
magna cum humilitate & fiducia clama-
re, vt ſibi gratiam det, qua in rerum ſua

rum tractatione meditari queat: vnde etsi aliam orationem non faceret, quam solum hanc, suo hæc fructu minimè frustrabitur. Et vt demus hanc illi à Deo gratiam non concedi, (eò quod non semper hæc illi conueniat) multos pios facere poterit actus & conceptus, vel oratiunculas aliquot fundere iaculatorias, quæ etiam sine meditatione formali magnum afferunt fructum; vti per experientiam norunt multi, qui vix vllum possunt mente discursum formare, & totam vel prope totam vitam in hisce actibus vel eiaculationibus traducunt. Tertia causa, scilicet naturalis habitualis imaginatiuæ inconstantis indispositio, ijsdem tolli poterit remedijs, quæ in secunda causa assignauimus, & imprimis per actuum & iaculatoriarum orationum vsum. In quarta causa, puta indispositione naturali accidentaria, quam humorum influxus, & tempus ipsum, &c. causant, (in quo nulla prorsus est culpa) vtile futurum est, ariditatem ipsam patienter tolerare, multos virtutum actus concipiendo, etsi cum aliqua molestia fiant. Vtile etiam hic foret, si superiores hanc animam non cogerent, illo tempore tam strictè & præcisè orationi incumbere, sed

alij eam rei vacare permitterent ad vitam actiuam spectanti, ita tamen, vt in negotiorum medio suum hæc animum ad Deum sustollere allaboret. In quinta causa, id est, in tentationibus & distractionibus, omne id adhibendum est, quod animam delectare, & reficere decenter potest, vti esset, orationem Dominicam, vel aliquē è Psalmis versum, vel quandam Euangeliorum sententiam recitare, eam prout optimè potest, mente recogitando, nam conatus hic fructus & præmij expers non erit. Verùm si nec hoc quidem facere queat, vt accidere ijs solet, qui diuina dispositione (quod sextam ariditatis esse causam diximus) interiorem afflictionem patiuntur, & talem quidem, quæ incurabilis videatur, minimé profectò credendum est, eum, qui hoc patitur, fructus omnis expertem esse. Etsi enim aliud non faceret, quam quod in orationis loco perseueret decertans, & tentationes & importunas cogitationes, ad diuinæ maiestatis gloriam, à se repellens, optimam haud dubiè orationem instituit, & fortè meliorem, quàm si multos à Deo gustus acciperet. Quando autem tentationes & molestissimæ distractiones & derelictiones à Deo tam graues sunt, vt supradi-

cta remedia vel alia his similia frustra adhibeantur, bonum erit, si cum superiorum licentia in loco aliquo separato librum spiritualem ijs horis, quæ orationi destinatæ sunt, legat, idque cum attentione & tractim, in illis verbis hærendo, in quibus sese emoueri sentit, atque cum æstus hic deferuere incipit, resumere lectionem. Verum quando id sine aliorum offensa fieri nequit, optimum remedium est patientia, & firma in Deum, qui animam probare vult, spes, & cum ea vnà cum alijs in communi loco orare: hæc namque tribulatio breui euanescet, & ingens eius loco succedet pax, & spiritualis abundantia. Hoc sese consolandi modo vti etiam possunt illi, qui à multis vel omnibus simul vexationibus, quas supra diximus, affliguntur; qui sunt illi, quos septimo loco designauimus.

Dubium L. Num, quando quis post multos orationis frequentatæ menses vel etiam annos semper & assiduo ariditatem vel derelictionem à Deo experitur, suum mutare exercitium debeat actiuæ sese vitæ applicando? Respondeo negatiuè; sed hunc assignatis supra remedijs vtendo perseuerare debere, sibique persuadere, hunc cum ariditate orandi modum gra-

tissimum

tissimum quoddam diuinæ esse maiestati sacrificium, sibique cum primis proficuum. Et sanè ipsa declarauit experientia, derelictos hosce à Deo homines, post diuturnam probationem, à Domino non modo per insignem quamdam orationē, verum etiam per altissimam contemplationem visitari solere. Ioseph Patriarcha Gen. 45 quamuis fratres suos, fame ingrauescente, in Ægyptum frumenti coemendi causa profectos durius & immitius tractare videretur, varijs eos modis tentando, eosque ceu exploratores habendo; ita tamen illorum malis compatiebatur, vt quo suum affectum & lachrymas dissimularet, ilico intra conclaue sese abdere cogeretur; qui demum cum vlterius continere se non posset, se cognoscendum dedit, omnem suam potentiam ac dignitatem ipsis communicando. Sic cum aliquot charissimis seruis suis Dominus quodammodo agere videtur: hos ipse quidem initio probat seuerè ac rigidè eos habendo, & varijs afflictionibus premit; tandem tamen visceribus misericordiæ eius motis, quasi amplius sese retinere non posset, se totum spectandum dat, Intraque familiaritatis atque amicitiæ suæ brachia eos receptos diuina consolatione inebriat.

DE CONSOLATIONIBVS.

DVbium LI. Quid est deuotio? Respondeo, Deuotio quidam est voluntatis actus ab ipsamet voluntate per habitum virtutis, quæ Religio nominatur, productus; & hic actus non est aliud, quam promptum & resolutum quoddam velle erga ea, quæ ad diuinum cultum spectant. Quod velle etiam sine sensibili deuotione, imò etiam cum sensibili portionis inferioris repugnantia consistere potest. Nota, iuxta sanctorum exempla, deuotionem etiam sensibilem fouendam esse, & si quando defuerit, per industrias & conatus, ad cor erga ea, quæ diuini sunt cultus, emouendum destinatos, sedulò quærendam.

Dubium LII. Num in oratione consolationes, & gustus desiderandi sint? Respondeo negatiuè: nisi in quantum ad maiorem perfectionem conducere queunt: atque hoc bono Dei beneplacito & voluntati remittendum est, qui nouit, quales ad hanc perfectionis acquisitionem consolationes gustusque homini sint necessarij. Notandum verò, vt theologicè loquamur, consolationes diuinas

& deside-

& desiderari, & rogari propter sequentes hos bonos effectus posse; Dei scilicet lucem, mundi contemptum & alia multa bona, quæ inde producuntur, etsi spirituales magistri ordinariè consulant, vt eæ nullo modo desiderentur vel à Deo petantur; quod pauci sint ita puri, vt in hisce gustibus desiderandis vel petendis solam Dei gloriam, & spiritualem animarum suarum profectum respiciant.

Dubium LIII. Num interiores delectationes vnius omnes sint generis? Respondeo quod non, sed diuersas & varias esse, prout eas Dominus communicare voluerit. Aliquando enim homo quandam velut sentit in portione inferiori suauissimi odoris fragrantiam, quæ animam simul & corpus confortat. Aliàs quemdam etiam in lingua corporali saporem, qui multum adfert refrigerium. Aliàs quamdam in parte inferiore lætitiam omnia mundi gaudia superantem, quâ noui serui Domini, acti in actus exteriores, tanto iubilo mentis solent prorumpere, vt sese continere nequeant; solet hæc ebrietas spiritualis nominari. Ipse consolationum impetus aliquando tam magnus est, vt sanguinem homo violenter exspuat. Aliàs in ipso meditationis di-

ſcurſu magnum ſpiritus, comitantibus lacrymis & ſuſpirijs cordialibus, gaudiũ ſequi ſolet. Aliàs ſine vllo meditationis labore in intimo animæ fundo quidam conſolationis ſuauiſſimæ fons enaſci videtur, qui ſe magna pace & quiete per omnes hominis partes extendit & diffundit. Et hæc ſpecies omnium, quæ in parte inferiori ſentiuntur, optima & minus ſuſpecta videtur. Etſi ſuam in hiſce conſolationibus nemo fiduciam penitus collocare debeat, ſed cautè ſemper viuere, & virorum ſapientum & ſpiritualium cõſilium exquirere. Eſt præterea quidam ſatisfactionis interioris modus, animæ etiam interdum oboriens; qui propriè guſtus vel delectatio non eſt, ſed quædam (vt diximus) ſatisfactio; vt animæ bonum ſit, ſic eſſe. Sunt deniq; altiora quædam in parte ſuperiori gaudia, quæ diuerſimode Dominus communicat; ſunt ea delicatiſſima, & verbis commodè exponi nequeunt; & quo purius partis intellectualis ſunt, eò etiam ſecuriora ſunt. Sunt hæc cōtēplationi & myſticæ Theologiæ propria. Circa guſtus verò noucelli orationis ſectatores notent, non benè facere eos, qui dum in oratione guſtus hos ſentiunt, velut attonita mente eos

perci-

percipere, ac semisopiti hærere, atque ita multo sese tempore continere assuescunt. Hi ergo expergefacere sese debent, & vitæ virtutumque Christi considerationi, passionum mortificationi, & virtutum acquisitioni attendere. Si autem sese excusent, dicentes sese discurrere non valere, eò quòd subitò affectus rapiatur, & consolationes de repente ingruant; vim sibi aliquam inferant, & si non poterunt discurrere, diuersa tamen concipient proposita & actus virtutum, atque aduertent in diuinæ sese maiestatis præsentia versari; atq; adeò abstractionem hanc parum vtilem, imò verò animæ & corpori, quod nimis inde debilitatur, potius nocentem cauebunt. In hac porrò consolationum materia obseruandum, ipsas, quando multis cum lachrymis & suspirijs affluunt, temperandas esse, ne hominem debilitent & noceant; ac propterea consultum esse, eas diuertere & declinare. Verum huic doctrinæ non aduersatur, suas lacrymis in aliquot casibus specialibus habenas permittere, vti fecit Sanctus Augustinus, dum se conuerteret, qui nimirum in lachrymas totus resoluebatur; nec non in casibus alijs extraordinarijs, vti dum magna quædam animi præcessit

ariditas, & ipsæ sine vlla commotione corporali lachrymæ veniunt, atque adeò à seipsis, à Domino immissæ, pluere videntur.

Dubium LIV. Vtræ consolationes meliores sint, illæne quæ vi meditationis expressæ sunt, an verò eæ, quæ sine illa vi adueniunt? Secundi generis meliores esse respondeo, ab ijsque animam magis fœcundari: sunt enim hæ velut lenis pluuia; primæ verò instar aquæ per conductus & canales defluentis.

Dubium LV. Num, quando in oratione consolationes sentiuntur, illæ aut contemnendæ sint aut magni faciendæ? Respondeo, nec contemnendas esse, eò quòd à Deo fortè dimanant; neque etiam magni faciendas, quòd fortè à dæmonio veniant. Esto autem à Deo descendant, non propterea communiter maioris sunt perfectionis indicia, quin imò animæ imperfectioris esse signa solent, quæ si hoc modo molliter à Deo non haberetur, in via spiritus retrospiceret. Notandum verò, quod, quando hæ consolationes animabus prouectioribus, iam post multos labores & probationes Domini, adueniunt, pluris faciendæ sunt; quod ita probabilius sit, eas à Deo venire, ceu

proba-

probatæ virtutis, nec non animæ, quæ [per ignem ad refrigerium pertransijt,] argumenta. Psal. 65.

Dubium LVI. Num, quando spirituales consolationes sentit, ijs excipiendis se dilatare debeat anima? Respondeo, quod non: sed assuefacere se debet, vt eas cum moderatione excipiat, nec coniti, vt eæ adaugeantur, vel maiores fiant. Nota, quando iam anima per longam quamdam ariditatem transijt, huic doctrinæ non aduersari, si suos velut poros spirituales aperiat ad cœlestem pluuiam excipiendam, vti terra suos, ad pluuiam, qua longo tempore caruit, sinu excipiendam, quo irrigetur. quod de nouellis animabus, & sæpius per spirituales consolationes visitatis minime intelligendum est, ne in quandam velut spiritus lasciuiam saginatæ impinguatæq́; degenerent.

Dubium LVII. Num, quando tales adueniunt consolationes, de quibus nullum esse videtur periculum; & visiones tales, vt à Deo venire videantur, nec vlla de ijsdem dubitandi subsit occasio, eæ sint magistro spirituali aperiendæ? Dico aperiendas videri, etsi res clara alioquin, & solis instar meridiani perspicua esse videatur: atque inprimis id & quam citis-

ſime faciendum, quando viſiones aut reuelationes ſunt, ne vlli deceptioni, aut dæmonis per ſpeciem Dei apparentis imposturæ aſſueſcat & innutriatur. Nota periculoſum eſſe, ſtatim illa cum viris prudentibus, & in ſcientia Theologica verſatis non communicare: Anima enim ſi ſecus faciat, grauiſſimo ſe errandi exponit periculo, cùm vna eademque imago apparens, tam Dei quam diaboli, quin etiam propriæ imaginationis eſſe queat.

Dubium LVIII. Quomodo ſe pater ſpiritualis cum ijs geret animabus, quæ in oratione viſiones, aut reuelationes, aut allocutiones habent? Reſpondeo; examinare debet orantis naturam & indolem, num ſcilicet ea vehementior ſit, num melancholica, fragilis, &c. nec non mores; an ſcilicet boni ſint: ſi boni, quādo tandem boni eſſe cœperint, &c. Notare etiam debet, an hæ viſiones, reuelationes, allocutiones veræ ſint, & cum ſcriptura ac doctrina ſanctorum conſentaneæ. Reſpicere etiam, num viſionum, allocutionum, &c. materia honeſta, ſancta, vtilis, vel neceſſaria ſit; an vero vice verſa curioſa, & diuinam maieſtatem parum decens: nec non effectus, qui à rebus hiſce interioribus oriuntur, illi no-

tandi erunt: si boni sint, & alia insuper ad bene de illis iudicandum necessaria assignata supra concurrant, eos adiuuet, vt spiritui diuino cooperentur. Si verò secûs se res habeat, eos diuertat, quo à spiritu maligno liberentur. De hac materia legendus tractatus est de spirituum discretione.

DE PARTIBVS AFFECTIVIS.

DVBIVM LIX. Num gratiarum actio, oblatio & petitio, quando in ijsdem aliqua sentitur difficultas, omitti queant, & tempus in aliquot virtutum actibus concipiendis liceat impendere? Respondeo, aliquando eas partes omitti, & habenas laxari affectui posse, si ad alios actus bonos magis se senserit inclinare. Nota, ordinem partium orationis non ita seruandum esse, vt is pro inuiolabili exceptionemque nullam patiente regula habeatur, quando nempe ad alios actus pios nouo quodam ordine animæ se sentit excitari. Notandum præterea, non esse, ceu infallibilem regulam, seruandum, vt meditatio primò fiat per se, deinde partes affectiuæ, vel alij virtutum a-

ctus per-

ctus peragantur: neque enim si in ipso meditationis contextu diuersi affectus vel iaculationes (vti solent) occurrant, eæ sunt repellendæ, sed suus ijs locus dandus, eæque meditationi intermiscendæ, quia ab impulsibus, quos illa voluntati suggerit, illæ variorum affectuum scintillæ resultant.

Dubium LX, Quomodo in aliquibus materijs particularibus, vt puta de morte, iudicio, &c. aliquot partes orationis (puta gratiarum actio) ab eo, qui particularia beneficia agnoscere nequit, poterunt appropriari? Respondeo optime appropriari posse, Domino scilicet gratias agendo, qui nos ab infelici status peccati morte liberauit, quique nobis tempus, quo ad eam prępararemur paulatim, concessit. Hoc etiam intuitu exerceri ipsa potest oblatio, & bonam mortem petendo meditatio terminari. Nota non esse animam violenter adigendam, vt omnes has partes propriè, quando nō facilè id fieri potest, peragat: at multo melius esse bonos affectus liberè elicere & exercere, prout anima per vim meditationis se sentiet inclinari: verbi gratia, in meditatione mortis timorem Dei elicere, actus & propositum facere cautè vi-

uendi,

uendi, peccatorum occasiones euitando, & misericordiam postulare, &c. prout affectus prædominans suggesserit; etsi gratiarum actio, vel alia orationis pars interdum omittatur.

DE ORATIONE IN COMMVni, eiusque circumstantijs.

DVBIVM LXI. Num, quoad locum & tempus orationis aliquid obseruandum sit? Respondeo esse: &, quoad locum quidem, eum quam fieri potest maxime separatum, & quietum seligendum. Quoad tempus verò, ipsum noctis, vtiq; postquam tantū dormiueris, quantum ad caput liberum habendum sufficiat (id est, vt somno id grauatum non sit) esse ad orationem peragendam aptissimū; etsi alioquin alijs horis oportunè oretur, maximè in locis solitarijs, in quibus etiam de die ea silentij, quæ de nocte habetur, commoditas potest haberi.

Dubium LXII. Num magna cum attentione in ea versandum? Respondeo, quòd sic; non tamen magnam capiti aut pectori violentiam inferendo, sed suauiter animam applicando, diuinas inspirationes permagni faciendo, & certa spe

gratiarum diuinarum accipiendarũ concepta: nam rei, de qua agitur, momentum pro dignitate æſtimatum, ad attentionem habendam mirificè conducit. Nota, multos quoad hoc grauiter errare, dum diſcurſum orationis interrumpunt, & magna quadam attentione in quiete ſeſe ad Chriſtum Dominum audiendum componunt, perinde ac ſi reuera, ſtatim ac ipſi tacent, Dominus ipſos alloqui inciperet. Sed nõ eſt quòd ſic agant: quando enim Domino lubuerit, multos ipſe adinuenit modos, quibus ſe ab anima audiri faciat. Vnde etiam eorum apparet ſtultitia, qui cum Dominum interrogarunt, ſtatim quieſcunt, quò eum loquentem audiant, & ſibi ipſis ſtupidis quibuſdam imaginationibus reſpondent.

Dubiũ LXIII. Num aliquo ſit ſtudio & arte corpus in orationis loco cõponendũ? Reſpõdeo cõponendũ cõmodè videri, ne animã impediat: atq; ideo magna cum compoſitione, quiete & reuerentia in eadẽ verſandum, omniſq; inquietudo fugienda, quæ vel ſpuendo vel fortiter reſpirando, vel huc illucque ſeſe mouendo oritur. Omnis quoque commoditatis ſpecies, quæ neceſſaria non ſit, cauenda, qualis eſſet, brachio inclinare, ſedere, &c.

Certiſſi-

Certissima quippe experientia constat, eum, qui ita negligenter ad orationem accedit, vt etiam in rebus minimis commoditates suas quærat (quando videlicet id iusta aut morbi, aut imbecillitatis, aut alia similis causa non exigit) omnia dissipare, nullumque ex oratione fructum colligere.

Dubium LXIV. Quando oculos consultum sit in oratione habere apertos, & obtutum in res alias defigere? Respondeo, id non improbari, quando scilicet orans id sibi ad collectionem interiorem conducere perspicit. Nota autem quosdam esse, qui mentalem facere orationem se posse desperant, nisi oculos claudant; alios verò, nisi eos aperiant.

Dubium LXV. Quid faciendum, quando à somnolentia orans opprimitur? Respondeo, diuersa eum adhibere posse remedia, puta, brachium compungere, pedem inter standum erigere, cilicium aut catenulam (si hæc gestat) constringere, aliquot cordis eleuationes cum feruore & efficacia facere, pigritiam omnem à se excutiendo, vti facere aues solent, dum expergefiunt, quas idcirco suas interdum alas concutere videmus. Denique præter alia varia quæ adferri possent reme-

dia, summopere conniti, vt cum intensa animi applicatione oret, nec non auxilium à Domino & Angelo custode ad hoc postulare; præsertim cum apparet, somnolentiam hanc à diaboli tentatione prouenire; vti fit, dum antè in lecto satis sufficienterq; naturæ dormiuit. Quod sæpiùs contingit, vti reipsa videmus. Nam si, qui hoc modo tentantur, ad dormiendum sese conferre iubeantur, somnum penitus capere nequeunt, & dum ad orationem redeunt, statim dormitant. Notandum porrò, somnolentiã hanc interdum à tempore ipso, vel alijs causis naturalibus procedere. Tunc verò bona futura oratio est, si cum somnolentia orans viriliter confligtet, quò in illo orationis loco coram diuina maiestate præsens assistat. Doctrina hæc locum habet, quando euidenter apparet, somnolentiam hanc ac soporem ab ipso causatum esse tempore, vti per æstatem fieri solet.

Dubium LXVI. Quid faciendum, quando orans horam orationi destinatam propè effluxisse, ac nihil penitus, ob distractiones vel negligentiam, vel aliam quampiam ob causam se effecisse animaduertit? Respondeo, tunc intensos aliquot virtutum actus eum elicere debere,

verbi gratia, contritionis, humilitatis, amoris, amissi illius temporis iacturã tanto maiori affectione resarcire gestiendo, quo quod reliquum adhuc est, tempus breuius est; viatores scilicet imitando, qui diei imminere finem cernentes, & , quòd lenté tardeque processerint, dubitantes num in tempore ad destinatum diuersorium peruenturi sint, animosè festinant, & noua quadam facta diligentia superioris negligentiç damnum compensare allaborant. Si itaque tunc aliqua se illi offerat ratio, quæ voluntatem emoueret, (posito eam antea oblatam illi non fuisse) & tempus quod reliquum est, ad illam orationem formandam, & aliquam in voluntate impressionem faciendam sufficiat; consultum fuerit, diligenter huic rationi attendere, & vel hanc voluntatis motionem ex oratione colligere ,ac deinde ad cubiculum aut aliò se conferre, ad vltimas orationis partes peragendas. Si autem ob necessarias occupationes sese inde subducere nequeat, satis fuerit partes illas breuissimis quibusdam cordis eleuationibus perficere, atque ita se ad negotiorum tractationem conferre.

Dubium LXVII. Quomodo in ora-

tione ipsa instituenda est petitio? Respõdeo, si res indifferentes petantur, eas sub conditione, tacita saltem, petendas: expressam autem & apertam non semper consultum est addere, quod hæc imminuere feruorem soleat. Quæ autem ad veram sanctitatem vel salutem animæ spectant, absolutè, magna quadam fiducia & contentione petenda sunt.

Dubium LXVIII. Quænam conditiones sint ad petitionis efficaciam necessariæ? Quatuor eas esse, ex communi sanctorum sententia, respondeo: Prima, petere ea, quæ ad salutem æternam necessaria sunt: secunda, eadem petere piè, id est, cum fide, spe, bonoque desiderio: tertia, petere ea sibi: quarta, perseueranter.

Dubium LXIX. Qui sunt orationis effectus? Respondeo: sunt tres, mereri scilicet, satisfacere, & impetrare. Duos priores cum omnibus alijs operibus pijs ac satisfactorios communes habet: tertius orationi magis proprius est, vtpote quæ destinata ad ea à Domino impetranda, quæ debitis cum conditionibus petuntur. Sunt & alij miri eius effectus: vtpote Dei lux, cordis ad æterna erectio, ac temporalium contemptus.

Dubium LXX. Quæ sunt profectus in oratione signa? Respondeo: maior ad suiipsius & Dei cognitionem lux, maior in interiori recollectio, maior mortifica tio, aliaque id genus.

Dubium LXXI. Quænam causa est, vt cum multi sint, qui orationis exercitio sese dedunt, tam paucis tamen ea feliciter succedat? Responsio: Duæ sunt præcipuæ rei huius causæ, vna est exigua nostri mortificatio, qualis, verbi gratia, esset nimis multum loqui, curiosè hinc inde oculis diuagari, &c. quæ imperfectiones, eò quòd quotidianæ sunt, tantum aut etiam magis destruunt, quantum quotidiana oratio construit & ædificat. Et est id experientia notum in ijs, qui grauia quidem peccata non admittunt, aliquam nihilominus vim sibi facere nolunt ad arctius secundùm disciplinam sanctorum viuendum. Altera huius infelicis successus ratio est, quod sanctum orationis exercitium parui faciant: vnde fit, vt parum se ad id præparent, &, dum ipsum exercent, animi languori irrepenti dent locum; vnde nullo modo animum collectum habent, nec spiritum applicant. atque inde fit, vt qui huiusmodi sunt, à tentationibus & distractioni

bus ita

bus ita inuadantur, vt ciuitas aliqua propugnaculis & excubijs destituta.

Dubium LXXII. An oratio debeat esse longa? Respondeo, quando in communi cum alijs ipsa instituitur, tam eam diu extendi oportere, quamdiu Superiores præscripserunt; qui orationis tempus benè instituerunt, & satis commodum, ita vt nec nimis id breue sit, nec nimis longum. Verùm dum in priuato quis loco orat, eo esse solet oratio fructuosior, quo productior; ita tamen vt aliquam orans sanitatis & roboris sui corporalis rationem habeat. In quo nuperi & nouitij oratores, iuxta directoris sui spiritualis consilium debent procedere.

Dubium LXXIII. Quomodo se gerent issi, qui ob diuersas causas interuenientes solito orationis tempore orare impediuntur, vel in commodo ei faciendæ loco non versantur, & commodo eam tempore, ab ipsis præstituto, instituere nequeunt? Respondeo, si habeant tempus, eam ante vel post communitatis orationem facere poterunt; & quod ad locum spectat, locum omnem vt oratorium habeant, si modò illis suppetat tempus. Si autem integra hora orare nequeant, semi horam, vel horæ quadrantem

conti-

continuę orationi dent, & quod restat, iaculatorijs, & interruptis cordis eleuationibus, interioribusque virtutum actibus, per reliquum diei reiteratis, compensare studeant.

Dubium LXXIV. Quomodo simplices & idiotæ aliquam saltem orandi methodum edoceri debeant? Respondeo: Vtile futurum, si edoceantur cogitare, Deum omni in loco præsentem adesse, ijsque declaretur, quomodo Saluatoris nostri Iesu Christi humanitatem sibi repræsentare, & quatuor nouissima debeant: vtque ad orationem cum quadam diuinæ maiestatis reuerentia, dolore & confusione de peccatis suis accedant, & eorum, quæ indicauimus, saltem aliquid cogitando, prout poterunt, percurrant, incipiendo ab ipsis Nouissimis, aut Saluatoris nostri Iesu humanitate. Atque ita fiet, vt, dum in illo orationis loco coram infinita Dei maiestate versantur, & bonæ vitæ omnisque peccati fugiendi proposita concipiunt, simul etiam Domino sese offerunt; in ipsum credunt, ipsum amant, opemque ab illo postulant; inque omnibus illis actibus cum simplicitate, & bonæ voluntatis abũdantia procedũt, bonam quamdã orationẽ instituturi sint.

TRACTATVS
DE PRÆSENTIA DEI.

1. QVÆRITVR, Quid est Dei præsentia? Respondeo: Per præsentiam Dei in sensu, quem viri spirituales vsurpant, non intelligi ipsam Dei in omni loco existentiam, vti nec diuinæ eius maiestatis super nos, & res nostras attentionem; multò etiam minùs, quod nos, vti & reliquæ creaturæ omnes, ipsi præsentes simus: sed hoc nomine exercitium quoddam interius, quod in vita spirituali permagni sit momenti, intelligi. Duabus in rebus id consistit; vna est, repræsentatio ipsa, quæ interius de rebus diuinis, de humanitate Christi, alijsque id genus obiectis formatur; alia verò, piæ mentis & affectus ad Deum & alias res, per imagines, quæ formantur, repræsentatas applicatio. Atque hæc applicatio præcipua eius præsentiæ Dei, quæ à spiritualibus hominibus vsurpatur, pars est, & sine qua ipsa rerum diuinarum, vel humanitatis Christi Domini repræsentatio parum vtilis futura esset.

2. Quæritur, Quotuplex sit Dei præsentia? Respondeo: Præsentia Dei diuiditur communiter in præsentiam imaginariam & intellectualem. Imaginaria est, in qua rerum corporalium efformantur imagines, verbi gratia, Christi Domini figura in quocumque vitæ eius actu, vel opere, vt passione, resurrectione, ascensione, &c. Intellectualis est, in qua tales non formantur imagines, sed quæ ad Dei in omni loco existentiam attendit.

De hoc legatur tractatus de Oratione à dubio VIII. vsque ad XIV.

Circa doctrinam hanc nota, quòd quamuis imaginatiuæ phantasmata vel imagines, etiam ad res diuinas, eo quo in hac quidē vita fas est, modo intelligēdas, iuxtà doctrinam S. Dionysij Areopagitæ cap. 1. cœlestis hierarchiæ, & D. Thomæ 2. 2. q. 174. art. 2. ad 4. concurrant; intellectualem tamen Dei præsentiam vocent illam, in qua ipsa animi applicatio in rebus aut rationibus intellectualibus terminatur; etsi anima impropria quadam imagine vtatur, ad præsentiæ imaginariæ differentiam, in qua scilicet imagines propriæ formantur, & quibus inspectandis contemplandisque anima intendit. Quod in præsentia intellectuali locū non habet, vtpote quæ supra omnem repræsentationem ad res euolat intelligibiles.

Porrò ad intellectualem præſentiã intelligendam ſequentia puncta conducẽt.

Primum. Conſiderare, hominem opem & ſubſidium aliquod ex alterius præſentia ſentire, idque non tam per corpus, quod videt, quàm per animam, quam nõ videt: vnde dum anima ab huius corpore decedit, corpus illi adeò non ſocietatem præſtat & ſubſidium, vt etiam timorem & terrorem inijciat.

Secundum. Quando cæcus aliquis apud mutum verſatur, etſi eum ipſe non videat, nec reſponſum ab eo exſpectet; quia tamen certus eſt eum adeſſe, aliquã hæc ei ſocietas conſolationem adfert. ſic quiſquis intellectuali Dei præſentiæ intendit, etſi diuinam maieſtatem oculis ſuis non videat; nec vllum ab eo exſpectet reſponſum, nihilominus confortatur: quòd certo norit, eum adeſſe præſentem, ab eo ſe videri ac protegi.

Tertium. Quando meticuloſus aliquis in locum timori incutiendo obnoxium, (verbi gratia, cœmeterium de nocte) cum comitib⁹ aliquot ingreditur; nihil timet; atque adeò ſi fortè eo in loco illi ad dormiendum ſe componant, ipſe tacet & quieſcit: quin etiam ſi eo inſcio inde ſocij digrediantur, nequaquam timet, eò

quod

quod imaginatio, qua illos adhuc adeſſe putat, ipſum confortat. Si itaque vel nuda cogitatio, quòd tres aut quatuor præſentes adſint, (etſi reuera abſint) hominem meticuloſum confortat, corque illum dilatare facit; quomodo intellectualis Dei præſentia debilem aliquem non confortet, vbi fide diuina cogitarit vel crediderit ſummum illud bonum ac fortitudinem ſuam præſentem adeſſe.

Quartò, ipſi ſerui Chriſti confortari ſe ſentiunt, dum apud ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum verſantur; & quãuis corpus Chriſti non conſpiciant, nihilominus confortantur, quòd illis fides dictet realiter ac verè ipſum adeſſe. Cur igitur ſe hi confortari non ſentient, vbi intellectuali præſentiæ attendunt quandoquidem, ſicut per fidem diuinam credunt, Chriſti corpus in Ven. Sacramento verè eſſe, ita eadem fide credunt, ipſam Chriſti perſonam ac diuinitatem in omni, quo verſantur, loco præſentem adeſſe.

Quintò. Ad intellectualem Dei præſentiam ſentiendam non parum facit, cogitare, quid futurum eſſet, ſi certò diuiña Maieſtas in loco aliquo determinato adeſſet; (verbi gratia, in cœlo) & tamen non adeſſet in terra? Hoc ſanè in caſu ipſis

Dei seruis illa absentia grauissima foret, & aliquod sibi eius consolationis motiuum imaginarentur, quam per fidei certitudinem habent, à qua videlicet docentur, omni loco quo sunt, verè & realiter præsentem illum adesse. Huc quoque facit, cogitare, quid futurum esset, si sanctissimum Eucharistiæ sacramentum solum in India (verbi gratia, occidentali) esset: quo in casu nullus est, qui non solitudinem illam, quam Catholici in Europa nostra sentirent, perspiciat.

3. Quæritur, num alij adhuc sint modi præsentiæ Dei, qui sub diuisione supra assignata comprehenduntur? Respondeo esse; cùm homo diuinæ gratiæ cooperando diuersas obiectorum imaginabilium formare imagines, ac diuersimodè sine imaginibus, rebus diuinis modo quodam intellectuali attendere queat; sed præter hosce modos (qui etsi cum diuino auxilio fiant, nostra tamen ad hos concurrit cooperatio) Deus Opt. Max. singulari quodam solet aliquot animas fauore prosequi, dum in illorum imaginatione, vel in intellectu diuersos mirabilium præsentiarum suarum modos efformat: adeò vt inde dulcissimam quamdam in amore correspondentiam, & societatem ama-

bilissimam sentiant; quam quidem interdum in diuersis vident formis, interdum verò minimè vident, sed sentiunt, & summum ab ea robur, quo ad perfectionem Christianam tendant, recipiunt. Quando autem id genus gratias homo sentit, statim cum Patre spirituali eas cōmunicare debet, ne fortè aliqua dæmonis illusio subsit.

4. Quæritur, num intellectualis obiectorum corporalium dari præsentia possit? Respondeo posse, adeò vt, sicut Angelus videt, id est, cognoscit, verbi gratia, Christi corpus, nullam formando imaginem corporalem, sicut eam format homo, qui corporales habet oculos, & phantasiam, vel imaginatiuam, per quam nimirum illam format imaginem, quæ dicitur phantasma; ita homo diuino auxilio possit videre, id est, cognoscere, vel intelligere corpus Christi, & modo quodam intelligibili & angelico eius præsentiam habere, etsi eum alioquin oculis corporeis non videat, neue eius per imaginatiuam formet imaginem. Verum tamen est, aliquod in hoc casu inter Angelum & hominem mortalem discrimen fore: quia dicere Angelus, verbi gratia, ipsa vultus Christi lineamenta poterit;

ſed id homo non poterit; ſicut experientia conſtat de illis, quibus hanc Dominus facere gratiam dignatus fuit. Cuius rei ratio ſpeculatiua hoc loco danda non eſt. Magiſtri ſpirituales bene hoc notent oportet ne in quibuſdam diuinis fauoribus dijudicandis errent.

5. Quæritur, num imaginaria obiectorum intellectualium dari queat præſentia? Reſpondeo cum diſtinctione hoc modo: ſi enim hunc interrogatio ſenſum habeat, an aliqua ſit Dei, id eſt, naturæ ac perfectionum diuinarum præſentia cum aliqua imaginum, vel phantaſmatum formatione coniuncta? Reſpondeo, eſſe; iuxta communem Theologorum cum D. Dionyſio Areopagita, quam ſuprà indicauimus, doctrinam docentium, res diuinas, quamdiu in hac vita ſumus, per rerum corporalium ſimilitudinem intelligi; verbi gratia, quando ſublimem quamdam diuinitatis ſuæ, vel myſterij diuiniſſimæ Trinitatis intelligentiam Deus ſub aliquo magnæ cuiuſdam lucis, vel candidæ & pulchræ nubis ſymbolo ac ſimilitudine, aut alio quodam modo longè mirabiliori, quam ipſi indicare poſſimus communicat. Hoc in ſenſu rerum corporalium imagines cum intellectua-

lium ac diuinarum intelligentia simul stare possunt. At si quæstio sic concipiatur, num illa propriè præsentia Dei imaginaria sit? Respondendum est quod non: quia imagines hæ rem corporalem existentem, cui propriè respondeant, non habent; sed ideò formatæ sunt, non vt res corporeas, v. g. imaginem Christi, B. Virginis, &c. repræsentent, sed purè intellectuales significent.

6. Quæritur, num ad duas supradictas præsentiæ Dei species alia pia interiora circa creaturas exercitia reducantur? Respondeo reduci; idque partim per imagines; sicut dum beatissima Virgo & sancti præsentes finguntur, aut de morte, inferno, iudicio vniuersali, &c. cogitatur: quibus in rebus imagines formantur corporum, & actus corporei. Partim etiam sine imaginibus, vti, dum de nobilitate naturæ Angelicæ, diuinæ gratiæ perfectionibus, caritatis excellentia, alijsque id genus rebus quis cogitat, idque modo quodam intellectuali, & nullas corporum formando imagines, sicut in imaginaria fieri Dei præsentia solet. Exercitium hoc etiã præsentia Dei vocatur; quia ad hoc demum cõfert, vt anima ad Deum sustollatur, & in eum per hanc mentis ad

creaturas applicationem terminetur, cum intentione & respectu, vt ipsa cum Creatore suo vniatur. Atque ita sanctos aliquot monachos cõmuniter in hisce præsentiæ Dei modis se exercuisse legimus, & quidem maiori longè cum fructu, quã se multi alij per diuersos præsentiæ Dei altioris sublimiorisq; modos exerceant.

7. Quæritur, vtra præsentia sit melior, intellectualis an imaginaria? Distinguo: quia verbum hoc (melior) vel maiorem excellentiam, vel maiorem vtilitatem significare potest. Quantum ad excellentiam, negari non potest, quin intellectualis sit nobilior, altior & excellentior; respicit enim obiectum sublimius, diuinam scilicet naturam, estque imaginariæ quodam modo finis. At si vtilitatem intueamur, nulla generalis regula practicabilis assignari potest. Quamquam enim ex se, & secundum esse suum præsentia intellectualis vtilior sit, in praxi tamen sæpissimè contingit, vt imaginaria multis vtilior sit, vti experientia ipsa satis ostendit.

8. Quæritur, quid faciendum, vt bona præsentiæ Dei electio fiat? Respondeo, per aliquod tempus homini eius esse experientiam probationemque faciendam, vt videat scilicet, ecquæ præsentia ani-

mæ ſit conducibilior ; videat inquam, per quam præſentiam magis illuminetur, inflammetur, & ad ſtatus ſui partes & munia exequenda, ad paſſiones mortificandas, ad virtutes acquirendas magis corroboretur. Deinde horum eſſe Magiſtro ſpirituali rationem reddendam, ac demum electionem faciendam. Notandum verò, non ideò eſſe imaginariam præſentiam omittendam, quòd perfectæ imagines formari nequeant; quia id minime neceſſarium eſt; imò ſæpè perfecta hæc imaginatio animæ nocet, quia periculum eſt illuſionum, ideóque imperfecta quædam imaginatio ſatis eſt. Conſiderandum igitur, num alia quadam de cauſa, verbi gratia, ob exiguam vtilitatem, vel capitis debilitatem, aliaſque id genus cauſas ea omittenda ſit.

9. Quæritur, num facta iam electione, verbi cauſa, imaginariæ, interdum intellectualem adhibere etiam liceat, & contrà intellectuali electa, aliquādo imaginariam? Reſpondeo licere. In quo notandum eſt, conſultum non eſſe ſic animam conſtringere, vt ſemper vni modo ita alligetur, vt nunquam ei alios modos attingere liceat: hoc enim mentem angit & ſuffocat. Cumque homo è ſpiritu con-

ſtet & corpore, hæc variatio ſatis illi ad animæ relaxationem, & ad maiorem affectum, & alios bonos effectus confert. Dico adhæc, quamuis facta iam electione, electa præſentia vt plurimùm vſurpanda ſit; vtile tamen eſſe, diuerſas cogitationes pias in diuerſis formis liberè admittere, adeò vt anima ſemper cogitationibus pijs occupata ſit, non tamen conſtricta & alligata. Nota, quando animam vni obiecto Dominus, ad maius eius bonum, alligare voluerit, id ipſum cum ſpecialibus fauoribus, animam neutiquã ſuffocando, facere ſolere.

Illam hic ſuppono diligentiam, quæ homini manè facienda eſt ad præſentiam Dei capiendam; imitando ſcilicet eum, qui cùm pretioſiſſimas in itinere gemmas geſtat, ſtatim atque è ſomno expergiſcitur, manum extendit, exploraturus num eas adhuc habeat, ſecuruſque ſit eas ſe adhuc penes ſe habere.

10. Quæritur, num conſultum ſit, eam Dei exercere præſentiam, quæ manè electa eſt, & circa quam oratio vel meditatio facta ſit? Reſpondeo quòd ſic; ſed cum ea moderatione, quæ numero præcedenti indicata eſt; cauendo nimirum, ne in eum nouitiorum incidat homo er-

rorem: qui si aliæ cogitationes piæ ipsis subnascuntur, eas accidere liberè non patiuntur, quod circa eam, quam mane meditati sunt, materiam eæ non versentur, atq; adeò volunt spiritum cogere, ideoq; eum amittunt.

11. Quæritur, quomodo Dei præsentia cum virtute, quæ septimanatim vel menstruatim eligitur, concilianda sit, cum iuxta disciplinam monasticam, ipsa Dei præsentia, vti & oratio continuata dictæ virtuti comparandæ seruire debeat? Respondeo, tali modo conciliandam esse, vt è Dei præsentia, quæ præ manibus est & electa, motiua eliciamus, quibus animus erga virtutis illius studium inclinetur: vt, si præsentia sit de Christo ad columnam alligato, & electa sit humilitas, considerandam sæpè humilitatem illam, qua denudatus, & velut mancipium in pistrinum compactum effectus apparuit. Si verò electa sit mansuetudo, considerandum sæpè, quomodo Dominus ceu Agnus innocens illas excipiat iniurias, ac dolores, atque ob eosdem neutiquam indignetur, nec contra carnifices insurgat. Si electa sit castitas, sæpè perpendendum, quomodo purissima & virginalis illa caro flagelletur. Hæ autem considerationes

Porrò ad intellectualem præsentiã intelligendam sequentia puncta conducẽt.

Primum. Considerare, hominem opem & subsidium aliquod ex alterius præsentia sentire, idque non tam per corpus, quod videt, quàm per animam, quam nõ videt: vnde dum anima ab huius corpore decedit, corpus illi adeò non societatem præstat & subsidium, vt etiam timorem & terrorem inijciat.

Secundum. Quando cæcus aliquis apud mutum versatur, etsi eum ipse non videat, nec responsum ab eo exspectet; quia tamen certus est eum adesse, aliquã hæc ei societas consolationem adfert. sic quisquis intellectuali Dei præsentiæ intendit, etsi diuinam maiestatem oculis suis non videat; nec vllum ab eo exspectet responsum, nihilominus confortatur: quòd certo norit, eum adesse præsentem, ab eo se videri ac protegi.

Tertium. Quando meticulosus aliquis in locum timori incutiendo obnoxium, (verbi gratia, cœmeterium de nocte) cum comitib⁹ aliquot ingreditur; nihil timet; atque adeò si fortè eo in loco illi ad dormiendum se componant, ipse tacet & quiescit: quin etiam si eo inscio inde socij digrediantur, nequaquam timet, eò

quod

quod imaginatio, qua illos adhuc adesse putat, ipsum confortat. Si itaque vel nuda cogitatio, quòd tres aut quatuor præsentes adsint, (etsi reuera absint) hominem meticulosum confortat, corque illum dilatare facit; quomodo intellectualis Dei præsentia debilem aliquem non confortet, vbi fide diuina cogitarit vel crediderit summum illud bonum ac fortitudinem suam præsentem adesse.

Quartò, ipsi serui Christi confortari se sentiunt, dum apud sanctissimum Eucharistiæ sacramentum versantur; & quãuis corpus Christi non conspiciant, nihilominus confortantur, quòd illis fides dictet realiter ac verè ipsum adesse. Cur igitur se hi confortari non sentient, vbi intellectuali præsentiæ attendunt quandoquidem, sicut per fidem diuinam credunt, Christi corpus in Ven. Sacramento verè esse, ita eadem fide credunt, ipsam Christi personam ac diuinitatem in omni, quo versantur, loco præsentem adesse.

Quintò. Ad intellectualem Dei præsentiam sentiendam non parum facit, cogitare, quid futurum esset, si certò diuiña Maiestas in loco aliquo determinato adesset; (verbi gratia, in cœlo) & tamen non adesset in terra? Hoc sanè in casu ipsis

Dei seruis illa absentia grauissima foret, & aliquod sibi eius consolationis motiuum imaginarentur, quam per fidei certitudinem habent, à qua videlicet docentur, omni loco quo sunt, verè & realiter præsentem illum adesse. Huc quoque facit, cogitare, quid futurum esset, si sanctissimum Eucharistiæ sacramentum solum in India (verbi gratia, occidentali) esset: quo in casu nullus est, qui non solitudinem illam, quam Catholici in Europa nostra sentirent, perspiciat.

3. Quæritur, num alij adhuc sint modi præsentiæ Dei, qui sub diuisione supra assignata comprehenduntur? Respondeo esse; cùm homo diuinæ gratiæ cooperando diuersas obiectorum imaginabilium formare imagines, ac diuersimodè sine imaginibus, rebus diuinis modo quodam intellectuali attendere queat; sed præter hosce modos (qui etsi cum diuino auxilio fiant, nostra tamen ad hos concurrit cooperatio) Deus Opt. Max. singulari quodam solet aliquot animas fauore prosequi, dum in illorum imaginatione, vel in intellectu diuersos mirabilium præsentiarum suarum modos efformat: adeò vt inde dulcissimam quamdam in amore correspondentiam, & societatem ama-

bilissimam sentiant; quam quidem interdum in diuersis vident formis, interdum verò minimè vident, sed sentiunt, & summum ab ea robur, quo ad perfectionem Christianam tendant, recipiunt. Quando autem id genus gratias homo sentit, statim cum Patre spirituali eas cōmunicare debet, ne fortè aliqua dæmonis illusio subsit.

4. Quæritur, num intellectualis obiectorum corporalium dari præsentia possit? Respondeo posse, adeò vt, sicut Angelus videt, id est, cognoscit, verbi gratia, Christi corpus, nullam formando imaginem corporalem, sicut eam format homo, qui corporales habet oculos, & phantasiam, vel imaginatiuam, per quam nimirum illam format imaginem, quæ dicitur phantasma: ita homo diuino auxilio possit videre, id est, cognoscere, vel intelligere corpus Christi, & modo quodam intelligibili & angelico eius præsentiam habere, etsi eum alioquin oculis corporeis non videat, neue eius per imaginatiuam formet imaginem. Verum tamen est, aliquod in hoc casu inter Angelum & hominem mortalem discrimen fore: quia dicere Angelus, verbi gratia; ipsa vultus Christi lineamenta poterit;

ſed id homo non poterit; ſicut experientia conſtat de illis, quibus hanc Dominus facere gratiam dignatus fuit. Cuius rei ratio ſpeculatiua hoc loco danda non eſt. Magiſtri ſpirituales bene hoc notent oportet ne in quibuſdam diuinis fauoribus dijudicandis errent.

5. Quæritur, num imaginaria obiectorum intellectualium dari queat præſentia? Reſpondeo cum diſtinctione hoc modo: ſi enim hunc interrogatio ſenſum habeat, an aliqua ſit Dei, id eſt, naturæ ac perfectionum diuinarum præſentia cum aliqua imaginum, vel phantaſmatum formatione coniuncta? Reſpondeo, eſſe; iuxta communem Theologorum cum D. Dionyſio Areopagita, quam ſuprà indicauimus, doctrinam docentium, res diuinas, quamdiu in hac vita ſumus, per rerum corporalium ſimilitudinem intelligi; verbi gratia, quando ſublimem quamdam diuinitatis ſuæ, vel myſterij diuiniſſimæ Trinitatis intelligentiam Deus ſub aliquo magnæ cuiuſdam lucis, vel candidæ & pulchræ nubis ſymbolo ac ſimilitudine, aut alio quodam modo longè mirabiliori, quam ipſi indicare poſſimus communicat. Hoc in ſenſu rerum corporalium imagines cum intellectua-

lium ac

lium ac diuinarum intelligentia simul stare possunt. At si quæstio sic concipiatur, num illa propriè præsentia Dei imaginaria sit? Respondendum est quod non: quia imagines hæ rem corporalem existentem, cui propriè respondeant, non habent; sed ideò formatæ sunt, non vt res corporeas, v. g. imaginem Christi, B. Virginis, &c. repræsentent, sed purè intellectuales significent.

6. Quæritur, num ad duas supradictas præsentiæ Dei species alia pia interiora circa creaturas exercitia reducantur? Respondeo reduci; idque partim per imagines; sicut dum beatissima Virgo & sancti præsentes finguntur, aut de morte, inferno, iudicio vniuersali, &c. cogitatur: quibus in rebus imagines formantur corporum, & actus corporei. Partim etiam sine imaginibus, vti, dum de nobilitate naturæ Angelicæ, diuinæ gratiæ perfectionibus, caritatis excellentia, alijsque id genus rebus quis cogitat, idque modo quodam intellectuali, & nullas corporum formando imagines, sicut in imaginaria fieri Dei præsentia solet. Exercitium hoc etiã præsentia Dei vocatur; quia ad hoc demum cõfert, vt anima ad Deum sustollatur, & in eum per hanc mentis ad

creaturas applicationem terminetur, cum intentione & respectu, vt ipsa cum Creatore suo vniatur. Atque ita sanctos aliquot monachos cōmuniter in hisce præsentiæ Dei modis se exercuisse legimus, & quidem maiori longè cum fructu, quā se multi alij per diuersos præsentiæ Dei altioris sublimiorisq; modos exerceant,

7. Quæritur, vtra præsentia sit melior, intellectualis an imaginaria? Distinguo: quia verbum hoc (melior) vel maiorem excellentiam, vel maiorem vtilitatem significare potest. Quantum ad excellentiam, negari non potest, quin intellectualis sit nobilior, altior & excellentior; respicit enim obiectum sublimius, diuinam scilicet naturam, estque imaginariæ quodam modo finis. At si vtilitatem intueamur, nulla generalis regula practicabilis assignari potest. Quamquam enim ex se, & secundum esse suum præsentia intellectualis vtilior sit, in praxi tamen sæpissimè contingit, vt imaginaria multis vtilior sit, vti experientia ipsa satis ostendit.

8. Quæritur, quid faciendum, vt bona præsentiæ Dei electio fiat? Respondeo, per aliquod tempus homini eius esse experientiam probationemque faciendam, vt videat scilicet, ecquæ præsentia ani-

mæ sit

mæ sit conducibilior; videat inquam, per quam præsentiam magis illuminetur, inflammetur, & ad status sui partes & munia exequenda, ad passiones mortificandas, ad virtutes acquirendas magis corroboretur. Deinde horum esse Magistro spirituali rationem reddendam, ac demum electionem faciendam. Notandum verò, non ideò esse imaginariam præsentiam omittendam, quòd perfectæ imagines formari nequeant; quia id minime necessarium est; imò sæpè perfecta hæc imaginatio animæ nocet, quia periculum est illusionum, ideoque imperfecta quædam imaginatio satis est. Considerandum igitur, num alia quadam de causa, verbi gratia, ob exiguam vtilitatem, vel capitis debilitatem, aliasque id genus causas ea omittenda sit.

9. Quæritur, num facta iam electione, verbi causa, imaginariæ, interdum intellectualem adhibere etiam liceat, & contrà intellectuali electa, aliquā do imaginariam? Respondeo licere. In quo notandum est, consultum non esse sic animam constringere, vt semper vni modo ita alligetur, vt nunquam ei alios modos attingere liceat: hoc enim mentem angit & suffocat. Cumque homo è spiritu con-

ſtet & corpore, hæc variatio ſatis illi ad animæ relaxationem, & ad maiorem affectum, & alios bonos effectus confert. Dico adhæc, quamuis facta iam electione. electa præſentia vt plurimùm vſurpanda ſit; vtile tamen eſſe, diuerſas cogitationes pias in diuerſis formis liberè admittere, adeò vt anima ſemper cogitationibus pijs occupata ſit, non tamen conſtricta & alligata. Nota, quando animam vni obiecto Dominus, ad maius eius bonum, alligare voluerit, id ipſum cum ſpecialibus fauoribus, animam neutiquā ſuffocando, facere ſolere.

Illam hic ſuppono diligentiam, quæ homini manè facienda eſt ad præſentiam Dei capiendam; imitando ſcilicet eum, qui cùm pretioſiſſimas in itinere gemmas geſtat, ſtatim atque è ſomno expergiſcitur, manum extendit, exploraturus num eas adhuc habeat, ſecuruſque ſit eas ſe adhuc penes ſe habere.

10. Quæritur, num conſultum ſit, eam Dei exercere præſentiam, quæ manè electa eſt, & circa quam oratio vel meditatio facta ſit? Reſpondeo quòd ſic; ſed cum ea moderatione, quæ numero præcedenti indicata eſt; cauendo nimirum, ne in eum nouitiorum incidat homo er-

rorem

rorem: qui si aliæ cogitationes piæ ipsis subnascuntur, eas accidere liberè non patiuntur, quod circa eam, quam mane meditati sunt, materiam eæ non versentur, atq; adeò volunt spiritum cogere, ideoq; eum amittunt.

11. Quæritur, quomodo Dei præsentia cum virtute, quæ septimanatim vel menstruatim eligitur, concilianda sit, cum iuxta disciplinam monasticam, ipsa Dei præsentia, vti & oratio continuata dictæ virtuti comparandæ seruire debeat? Respondeo, tali modo conciliandam esse, vt è Dei præsentia, quæ præ manibus est & electa, motiua eliciamus, quibus animus erga virtutis illius studium inclinetur: vt, si præsentia sit de Christo ad columnam alligato, & electa sit humilitas, considerandam sæpè humilitatem illam, qua denudatus, & velut mancipium in pistrinum compactum effectus apparuit. Si verò electa sit mansuetudo, considerandum sæpè, quomodo Dominus ceu Agnus innocens illas excipiat iniurias, ac dolores, atque ob eosdem neutiquam indignetur, nec contra carnifices insurgat. Si electa sit castitas, sæpè perpendendum, quomodo purissima & virginalis illa caro flagelletur. Hæ autem considerationes

esse debent quàm breuissimæ, & per reliquum tempus, quo oratio continua non peragitur, interruptæ. Pia adhæc proposita, & virtutis electæ actus concipiendi sunt, proponendo obuias difficultates generosè perfringere, modosque excogitando ea, quę occurrunt opera, taliter exequendi, qualiter ea Christus Dominus similibus in occasionibus exequeretur. Notandum verò, quando anima in ipsa Dei præsentia non facilè rationes, vel moti ua propria inuenit, quibus ad virtutis electę cultum inducatur, consultum non esse, vt seipsa speculando defatiget ad conceptus excogitandos & inueniendos; sed vt magna cum simplicitate & affectu Dei præsentiam adhibeat, Deum frequēter, cùm per naturalem eius bonitatem, tum per passionis merita, per dolores, & sanguinis effusionem, &c. rogando, vt quam elegit virtutem, sibi elargiri dignetur; proposita & actus virtutis illius faciendo.

12. Quæritur, num cum Deo, in exercitio hoc præsentię suę, in secunda sit persona loquendum? Respondeo, animā hic cogendam non esse, vt in secunda vel tertia persona, vel cum Domino vel secum, (aduertendo, sese in Dei præsentia

versari)

versari.) vel alijs modis secundum affectum prædominantem loquatur.

13. Quæritur, num intensa applicatio mentis & affectus in exercitio præsentiæ Dei per diem totum sit facienda? Respondeo, suauiter & mentis & affectus applicationem faciendam, caput ac pectus non lædendo: quia per hanc moderationem ipsa futura diuturnior est, deinde caput non grauabitur, & satis sufficienterque ipsum dispositum erit, vt faciat ea, quæ ad Dei cultum faciunt; per hanc quoq; fit, vt ipsi Dei serui non fiant segnes, nec tum erga se, tum erga proximos inutiles. In hac suaui mentis applicatione, quando præsentia est de Christo, intendere homo debet, vt bonum & fidele ei contubernium præstet, eum in rebus ordinarijs occurrentibus, verbi gratia, in silentio, modestia, in incessu, sessione, stando, &c. imitari studendo, & ita hos actus facere intendendo, vtiipsemet Christus eos faceret, quin & alia extra ordinaria, etiam maiora, eius nomine facere proponendo, ad mortem vsque etiam eum comitando.

14. Quæritur, num huic Dei præsentiæ attendendum sit, quando homo cum proximis tractat, quando cum amicis a-

git, aut

git, aut quando corporis sumit refectionem, & in alijs similibus casibus? Respondeo, affirmatiuè, sed cum ea moderatione, quam numero præcedenti attulimus, quę in omni euentu commodissima est; sicut videre est ex ijs, quę homines spirituales medias inter recreationes, & continuas cum amicis conuersationes, aut dum rheda vehuntur, dum ambulatum concedunt, &c. faciunt; quibus in casibus nec in vrbanitatem ciuilitatemq; peccando, nec officia caritatis omittendo, cor interdum ad Deum sustollunt, Dominumque coram quo versantur, interioribus mentis oculis intuentur. Hoc pacto fit, vt nullum ex hac cum creaturis communicatione detrimentum anima capiat, & cor ad orationem aliaque bona spiritualia aptum beneque dispositum conseruetur. Hæc in rebus terrenis tractandis fidelitas plurimi à Rege cœli fit. Ex hac doctrina sequitur, seruos Dei procurare debere, vt semper in Dei præsentia versentur: si enim vt in media illam negotiorum tractatione habeant, eos satagere oportet, quanto magis, dum aliarum rerum, à quibus distrahantur, tractatione distenti non sunt? Sic nimirum boni religiosi faciunt, qui, sicut rerum

incompa-

incompatibiliũ tractatione impediti non sunt, ita in continua quadam Dei recordatione viuunt; actus meritorios assiduè multiplicando. Et licet, per naturalem fragilitatem, aliqua temporis pars sine hac memoria subinde elabatur, distractio hæc voluntaria non est, atque adeò statim ac sui recordantur, Dei, in quocumque versantur loco, præsentiam resumunt.

15. Quæritur, quomodo spiritualiter creaturæ videri considerarique debeant, vt hic earum intuitus præsentiæ Dei fouendę seruiat? Respondeo, omnia quæ videntur, tam naturalia, vti sunt campi, flumina, arbores, &c. quàm artificialia, sicut imagines, vasa aurea & argentea, palatia, &c. cum quadam ad Creatorem, & horum omnium Dominum, à quo omne bonũ tam naturale, quàm artificiale, &c. procedit, relatione videri debere. Et, si Dei præsentia intellectualis sit vel imaginaria de Christo Iesu, magnam inter horum conspectum, & illorum auctoris respectum proportionem esse, si nimirum cor ad eum honorandum & amandum, per illa motiua, quæ in illis rebus reperiuntur, sustollatur. sicut, verbi gratia, si florum pulchritudo videtur, statim ad Christum Dominum mens se reflectere,

& affectus ad infinitam eius pulchritudinem amandam applicari potest. Si insigne aliquod palatium, quamprimum ad Deũ mens sustollenda, & ad ciuitatem Domini, quam suis is electis fabricauit, referenda. Si flumen, respicienda ilicò diuinitas, quæ ceu mare quoddam est aquæ purissimæ, & ad eam, ardenti concepto desiderio in æternum illud refrigerium ingrediendi suspirandum. Quando autem is, qui præsentię Domini intendit, nullam in hisce aspirationibus & respectibus interioribus proportionem inuenire poterit, satis erit, si simpliciter & cum magno sese diuinæ maiestati vniendi desiderio meminerit se ea, quæ videt, videre velut res heri sui & Domini vniuersalis, eum ob hoc dominium, tam potenti dignum domino, laudando & glorificando: hoc namque modo optimos affectus eliciet, timoris quidem, quando ipsa obiecta inuoluunt timorem, verbi gratia, mors, iudicium, infernus; deinde amoris, quando ea quæ occurrunt, iucunditatem includunt, vt campi, flores, &c.

16. Quæritur, quanti momenti sit pręsentię Dei exercitium? Respondeo, permagni id momenti esse omnibus ad omne bonum spirituale, ac præsertim qui vel

ob indispositionem naturalem vel accidentalem habitualem discurrere mente non valent, & continuę orationi multum temporis impendere: his enim loco continuæ orationis hæc Dei præsentia erit. Et vniuersaliter quidam mirabiles videre effectus est in ijs, qui præsentiæ Dei intendunt: qui enim in sancto hoc exercitio fideles sunt, diuinum quid in intuendo, loquendo, in modestia, in negotiorum tractatione præferunt: satis enim ostendunt sese à spiritu diuino regi.

TRACTATVS
DE TENTATIONIBVS.

1. MATERIA hæc maximè ampla est, multaque de ea in varijs scripta libris leguntur. Hinc quæ vtilitatis parum habent ommittens, dicam Deo dante, quę viris spiritualibus grauiter tentatis magis profutura sunt, vt ipsi tum se adiuuent, tum alijs bene consulendo opitulentur.

2 Præsuppono hominem in omni

peccati materia, & contra omnem virtutem tentari posse. Suppono adhæc, tentationes à tribus præcipuis oriri posse capitibus; primò, à diabolo; secundò, à nostra concupiscentia, quæ aduersus rationem ac diuinam legem insurgit; tertiò, singulari Dei permissione & ordinatione, qui nos probare velit. Rursus præsuppono, tria hæc capita ita distingui non debere, quasi primum & secundum Deo disponente ac permittente non contingerent: sed ita vt tertium particulari Dei consilio ac decreto attribuatur, quamuis alioquin nos concupiscentia aut diabolus ordinario more suo non tentarent. Quia sunt extraordinariæ quædam Dei dispositiones, seruum suum probare volentis, qui tum dæmoni permittit, vt eum insolita quadam tentatione affligat, cùm ad maiorem gloriam gratiæ suæ, atque animæ illius bonum, tum vt hinc fortitudinis & patientiæ exemplum alij hauriant.

3. Præmitto adhæc communia in omnibus tentationibus remedia, quæ ad sequentia reuocari capita possunt. Primum est oratio: quia quicumque tribulatus est, ad eum recurrit, à quo iuuari se posse sperat; atque ideò statim ac se quis

afflictum comperit, ad orationem auxilij causa confugere debet. Secundum, sese coram diuina maiestate humiliare: ita namque & multo citiùs & efficaciùs subsidium auxiliumque obtinebit. Tertium, est patientia in mœstitia ac desolatione, quam tentatio causatur Quartum fortitudo & constantia in resistendo, maximè in ipso tentationum initio, accedente timore Dei, & spe præmij. Quintum, firma in Deum fiducia, numquam animum despondendo. Sextum, virorum spiritualium, ac præsertim Prælatorum & Directorum consilium. Atque hoc quidem primo loco petendum est, vt deinde ex eorum directione cetera vsurpentur remedia: cùm enim variç sint tentationes, varias etiam iam inde à principio directiones habere oportet. Notent hic spirituales magistri, vniuersaliter se, quando tentationes in magnas hominem conijciunt angustias, (vti sunt ea, quæ circa fidem, blasphemias, & scrupulos versantur, aliæque similes) tentatis consulere debere, vt ad tempus ab oratione & alijs exercitijs mentalibus abstineat, vtque comedant & dormiant, ne in quamdam tum spiritualem, tum corporalem ægritudinem, quæ quodammodo irremediabilis sit, incidant.

4. His præsuppositis, & innumeris tentationum modis, quibus serui Dei tentari solent, omissis, solùm de grauioribus, quę occurrere solent, & quarum maiorem habeo notitiam, loquar, & singulis quas afferam tentationibus aliquot assignabo remedia, quæ ijs tollendis efficaciora iudicabo. Quas autem afferam tentationes, sunt hæ quæ sequuntur, nimirum circa fidem, ad impuritatem, ad blasphemiam, scrupulos, desperationem, & odium Dei.

5. Circa tentationes de fide notandũ est, multis viris spiritualibus magnas quoad hanc partem tentationes accidere: diuina namque permissione diabolus eos in omni fidei mysterio vexat & inquietat, sexcentas suggerendo interrogationes & argumenta efficacissima, nullam vt ijs quietem indulgere videatur. Hæc tentatio eò hominem perducere solet, vt & valetudo & iudicium periclitentur. Adeò vt ipsa quoddam exercitium sit, corpus valdè torquens & vexans; verùm animæ parum nocet; quia quò suggestiones absurdiores & ineptiores sunt, eo minùs est consentiendi periculum. Imò plerumque huiusmodi luctæ & conflictiones magnum postea animę adferre emo-

lumentum solent. Cùm enim serui Dei vident in ea sese impeti materia, propter cuius confessionem mille, si haberent, vitas impenderent; tum, cùm se maximè vexari & tentari sentiunt, in quosdam fidei actus eosque nobilissimos prorumpunt, pari sanè constantia ac robore, quo olim Martyres ante in Tyrannos abrepti. Quod in locis solitarijs, & clam alijs potissimùm facere solent, in quibus tum affectu, tum verbis, & exterioribus actibus, magna fortitudine & generositate, Catholicas veritates profitentur. Quod gratissimum Deo spectaculum est, cuius bonitatem credibile est graues hasce tentationes ideò permisisse, vt excellentes hos virtutum actus, diuinæ suæ maiestati adeò gratos ac suaues, colligeret.

6. Particularia tentationis huius remedia, præter communia illa omnibus, suprà indicata, sunt hæc. Primum, argumentis diabolicis non auscultare, nec cum ipso disceptare, vel de ijsdem discurrere, etsi tentatus tantum se scire putet, vt tentantem conuincere possit. Secundum, non se sinere interius turbari, vti solent turbari nonnulli, quod hæc tentationis species fidei diuinæ aduersetur.

Non sic autem faciendum est, sed ipsa contemnenda tentatio, idque eò magis, quò manifestiùs ea oppugnatur veritas, quæ infallibilem certitudinem includit. Adeò, vt qui hac in parte tentatur, ita se cum diabolo hic gerere debeat, perinde ac si stultus aliquis sibi multas ineptias, & fatuitates absurdas ac ridiculas oggereret; nihili scilicet eas faciendo. Doctrinam hanc commune virorum spiritualium confirmabit iudicium, dum de damno, quod recipere solent illi, qui sic tentantur, nihil omnino timent; quin imò maius damnum timendum censent, cùm de rebus leuissimis tentantur, verbi gratia, vt otiosa verba loquantur: hoc enim in casu longè credibilius est, aliquem secuturum consensum, etiam in viris spiritualibus; quod de tentationibus quo ad fidem, adeò firmiter atque vniuersaliter dici nequit. Tertium remedium est, simplicissimos, sed ardentes, fidei actus concipere, nullam aliam eius quærendo rationem, quam vniuersalem illam diuinæ auctoritatis, quam Ecclesia nobis sancta proposuit.

7. Quoad tentationes obscenas notandum est, eas esse grauissimas, & cæteris alijs periculosiores, idq; ob carnis hu-

manæ fragilitatem, qua ceu armis vti dæmon solet ad animam oppugnandam. Tentationes hæ suum interdum in naturali complexione in hoc vitium prona fundamentum habent, præsertim quando corpus molliter & delicatè habetur & parùm affligitur. Aliàs à parte corporis vix vllum est fundamentum, quòd nimirum ipsum malè tractetur & extenuetur; quamuis alioquin infernali quadã ipsum inardescere videatur concupiscentia. Ac tunc patet, tentationes has è singulari Dei prouidentia & nutu oriri, qui animam hanc purgare & promouere desiderat. Atque ita de aliquibus Dei seruis morbidis & infirmis iudicandum, quibus etsi continuæ ægritudines continuæ cuiusdam pœnitentiæ sint loco, nihilominus grauissimè tentantur. Denique idem dicendum de illis Dei seruis, quibus licet obiecta desint, à quibus tententur, & ipsi se assiduè in ijs, quæ ad Dei obsequium spectant, pro eo ac possunt exerceant, ne vllum tentationibus illicitis locum dent; grauissimè tamen tentantur & affliguntur.

8. Notandum insuper, luctam & certamen hoc grauissimum, diuersis quoad tempus & grauitatem & magnitudinem

modis obuenire. Quoad tempus quidem, solet in aliquibus, quatuor, sex, decem, aut etiam pluribus annis, per interualla insurgens, durare: alios verò continenter opprimere, sine vlla intermissione. quod inprimis notandum est. Quoad grauitatem verò & magnitudinem; aliquando hæc tentatio ita sæuit, vt quædam ignis species videatur: nonnunquam etiam opera dæmonis, aliquæ sequuntur indecentiæ & res insolitæ, de quibus distinctius hic agere ipsa vetat honestas & modestia; atque ideò ad particularitates non descendo. Sed Lectores spirituales hic admoneo, ne ob quemcumque casum, etsi extraordinarium, in hac materia turbentur, dummodo voluntas per Dei gratiam non consentiat, cùm ex historijs sanctorum sanctarumque castissimorum, qui grauiter circa carnem tentati sunt, res manifesta sit.

9. Particularia tentationis huius remedia, præter communia illa, in hac materia fidelissimè, diligentissimeque executioni mandanda, sunt sequentia.

Primum, occasiones in intuendo, loquendoque fugere.

Secundum, castigare corpus, quando ipsum carnalibus obnoxium tentationibus vide-

bus videtur, quòd beneualens, robuſtum, & pingue ſit; tunc ſcilicet ieiunia, cilicia, & corporalis afflictio equo huic effreni edomando percommoda ſunt inſtrumenta. At quando corpus ita diſpoſitum non eſt, ſed extenuatum, vel morbidum; hiſce remedijs vel parùm, vel etiam omnino non vtendum; ſed ad ſpiritualia orationum, ſacramentorum, &c. remedia confugiendum, tanto maiori cura ac diligentia, quanto minùs corporalia ſuſcipere poſſunt.

Tertium, ita ſeſe occupare, vt cogitationi vix locus relinquatur, vt ſeſe obiectis circa quæ tentatur applicet. Occupatio talis erit, quam vel ſanitas permittit, vel ſtatus eius qui tentatus eſt, vt legendi, vel ſcribendi, vel negotiandi, vel manuale opus exercendi; etſi, quando opera manualia ſine magno exercentur labore, vel aliquam intenſiorem mentis applicationem non exigunt, huiuſmodi cogitationes vix excludant.

Quartum eſt, ſanctiſſimam communionem ea intentione frequentare, vt eius adminiculo contra tẽtationes robur colligatur, in quo confeſſarij vel magiſtri ſpiritualis conſilium interueniat oportet. Quamquam autem hæc remedia carna-

libus tentationibus, quæ extrauagantes non sunt, tollendis, atque adeò ijs, quæ valdè excedunt, multum conducant, ac præsertim quartum, in quo omnium malorum continetur remedium: diuina tamen prouidentia permittente, aliquos ita à carne tentari videmus, vt, quamuis remedia hæc frequenter vsurpent, & viriliter semper resistant, nullam alleuiationem sentiant, etiamsi multis annis generosè pugnarint. At non propterea hi animum despondere debent, sed Domino fidere; cuius gratiæ id certissimum habent argumentum (quod mirificè illos consolatur) quòd tanto tempore, quantum quidē meminisse possunt, nullum letale interim peccatum admiserint. Imò addo, etsi propter vehementem & continuam infestationem, in aliquam fortè fragilitatem prolapsi essent, non propterea à certando deficere debere: quòd in scriptura plurima sanctorum ac sanctarum exempla videre sit, qui aliqua quidem interdum peccata mortalia cōmiserint, sed statim, magna quadam generositate, ad assueta redeuntes certamina, magno suo merito Dominum postea maximopere glorificarunt.

10. Circa tentationes autem blasphe-

miæ notandus eſt furioſus Diaboli conatus & contentio, ipſos Dei ſeruos in magnas impatientias continua ſua inſtigatione præcipitare ſatagentis. Tentatio hæc, quantum quidem intelligere potui, ſola venire non ſolet, ſed eam vt plurimum comitantur ingens quædam mœſtitia interior, tentatio ad deſperationem, Dei odium, denique graues contra caſtitatem vexationes. Cuius rei cauſa eſt, quia, cûm inferior hominis portio ſe grauiter afflictam, omniq́ue conſolatione & voluptate carentem cernit; aduerſus rationem & conſequenter aduerſus Deum, inſtar furentis canis, eo immaniùs & atrociùs inſurgit, quo à diabolo magis inſtigatur; atque inſtar feræ ſæuit, quæ interim dum eam nemo vexat aut laceſſit, quieſcere videtur; at mox vt laceſſitur, efferaſcit, & in inquietantem ſe fertur. Vnde tunc horrendæ quædam cogitationes oboriuntur, quin etiam ſubinde in verba intemperantia ac dura homo prorumpit, ſed ſolent hæc eſſe inuoluntaria, & indeliberatè effundi propter tentationis impetum ac vehementiam. Vnde etiam piè ea interpretanda, quia interdum in bono & tollerabili ſenſu poſſunt exponi; ſicut fit in aliquibus ſenten-

tijs Iob, vti dum in ærumnarum ſuarum vehementia diei ſuo natali maledixit, &c. Tentatio hæc multis durare annis ſolet, & malignus ille blaſphemiæ ſpiritus quẽdam quodammodo habitum contrahere, atque ad minimam tentationem mœſtitiæ, impuritatis, &c. ſtatim foras prorumpere.

11. Particularia tentationis huius remedia, præter communia illa ſupra allata, ſunt ſequentia hæc. Primum ſæpè cum hominibus prudentibus & ſpiritualibus agere; cum ijs præſertim, qui tentationis huius aliquam experientiam habent, & monita, quæ hi ſuggerent, attente conſiderare. Secundum, non ſolum occupationibus ſpiritualibus, verùm etiam indifferentibus quibuſdam recreationibus, vel licitis ambulationibus (quæ in id genus hominibus etiam excellentium virtutum actus ſunt) mentem diſtrahere & occupare, idque ea ſolùm intentione, vt magno illo mœſtitiæ pondere animam exonerent, itaque occaſiones auferant, in quibus illos blaſphemiæ motus experiuntur. Vnde multi Dei ſerui, docti alioquin & graues, animas illas ſummo periculo exponunt, dum importunis & indiſcretis exercitijs ſpiritualibus

cas op-

eas opprimunt. Quod & in alijs tractatus huius tentationibus similiter locum habet: quia omnes per diuerticula & distractiones mentis iuuari debent, magnamque, quando huc extremitatis veniunt, in directoribus prudentiam requirunt. Tertium remedium est, ob tentationem hanc posthac amplius non turbari, quin imò eam despicere & contemnere, sicuti de tentatione circa fidem diximus; etsi hoc circa fidem modo quodam magis speculatiuo contingat; ac minùs videatur difficile, impertinens quoddam argumentum, quàm opinionem & sensum furiosum, qui ipsum ad se affectum rapere videtur; sicut in tentatione ad blasphemiam fieri solet, despicere. Contemnenda hæc nihilominus, atque eius vehementia & impetus parui faciendus, quo non increscat, animusque paulatim magis ac magis, quàm fieri poterit optimè, vt serenetur, procurandum. Quartum est, sæpè aliquos adorationis & laudis Domini actus elicere, quamuis id ei perdifficile sit, quia spiritualia illa sacrificia in tribulationibus talibus oblata diuinæ Maiestati infinitè grata sunt, atque ideò tales ipse Deus pro sua clementia animas quàm libentissimè inuat, & à tan-

ta molestia & angustia liberat.

12. Circa tentationes scrupulosas, quę seruos Dei ita quidem interdum vexant & affligunt, vt insanire debere videantur; & non nouitios eos modò, verùm etiam iam veteranos, quin & summæ doctrinæ viros; notandum est (vt nihil dicam de ijs, qui nonnisi vulgari quodam modo scrupulis agitantur) tentationem hanc subindè adeò vehementem esse, vt fidem superet; Probabiliter autem credendum est, multos sic excessiuè tentari, non quòd tentatio hæc aliquod in ipsis habeat aut ignorantiæ, aut diffidentiæ fundamentum vel originem; sed quia sic Dei complacitum est prouidentiæ, qui talibus hominibus ad maius ipsorum meritum tentationis huius exercitium, quod martyrij cuiusdam species est immittit. Non est autem necesse, vt diutiùs materiæ huic inhæreamus cum quotidiana eius rei videre exempla sit, cum paucissimi sint, qui non, licet iudicio alioquin & doctrina valeant, & in vitæ iam extremo versentur, vehementer, vti antè indicauimus, hoc in genere exagitentur.

13. Remedia particularia, vt non dicam communia, sunt hæc, quæ sequuntur. Primum est, scrupulosum debere co-

nari, vt ex fide se dirigat, id est, confessarij sui, qui vir doctus sit & spiritualis, consilio directionique acquiescat: Vnicum hoc remedium sufficeret, si generosè tētatus, vt par est, illud exequeretur. Hoc namque remedium non in aliqua nonnullorum tantùm positum est opinione: sicut particulares aliquot peccatorum casus, circa quos dicere tentatus aliquis potest, variare inter se Doctorum opiniones, ac disquirere proinde se velle, ecquę illarum sit securissima. Non autem hic ita se res habet: non enim singularis aliquis est auctor, qui ita priuatim sentit, sed communi omnes quotquot sunt suffragio velut rem euidentissimam asserũt, pœnitentem, vbi semel bonum prudentemque confessarium elegerit, omnibus quę dicit & suadet acquiescere debere, idque tutò secureque admodum. Scrupulosus itaque hanc, scrupulosè licet, electionem faciat; at, postquam iam eam fecit, consideret, nefas & dissentaneum esse, se scrupulis posthac locum dare. Quod adeò quidem verum est, vt quãuis confessarij huius suasu consilioque aliqua peccata confiteri omittat, quæ se tamen confessum non credit, (eò quòd Confessario secùs videatur) vel, etiamsi

verè se diuino officio fecisse satis non putet, confessario tamen aliter iudicante ac suadente; nefas sit ipsum tunc scrupulis super hoc angi. Secundum remedium in doctrina quadam communi fundatum est, eum cùm circa rem aliquam ei scrupulus enascitur, tutò secureque in contrariam debere & posse partem propendere: quod optimum id & vniuersale ipse principium morale, ad non credendum scrupulis particularibus, habeat, scilicet, hunc passionum & infirmitatis suę morbum esse. Tertium remedium est sedulò impedire, ne quem interius scrupuli locum occupent; vt scilicet scrupulosus, quando cogitationem scrupulosam in mente sedē firmare velle percipit, eam dissipare atque subuertere elaboret, ne illic ea corroboretur & crescat: quod securè imprimis facere & potest & debet, qualiscumq; demum ea sit cogitatio. Quartum est, alios Dei seruos consulere, & etiam obseruare, quomodo ipsi confiteantur, & officium suum recitent, &c. vbi enim vident, multos sanctitatis opinione claros anxiè adeò & minutè in sua non inquirere, hoc ipsis & ad cor dilatandum, & obstandum, ne hæc sibi Passio tantopere dominetur, auxilio esse poterit.

Quin-

Quintum & vltimum, bene de diuina bonitate sentire & misericordia, & de illis cum Dei famulis punctis conferre, quæ intellectum conuincunt, quò is sibi persuadeat minimè credibile esse, infinitam illam charitatem tam minutè in apiculos & festucas, quas scrupulosus respicit, respicere. Atque hanc de Domino Deo opinionem concipere procurans, cor suum dilatare. multosque fiduciȩ actus excitare proponat.

14. Circa tentationem desperationis notandum, eam subinde à peccatorum præteritorum multitudine enasci, magno concepto timore, quòd, qui tanta totque scelera perpetrauit, nunquam salutis sit particeps futurus. Interdum quoque, extra hanc occasionem, eam diabolo instigante oriri, idque ob nimium quemdam rigorosi diuini iudicij metum. Nonnunquam etiam Deo id singulariter permittente, ad maius videlicet meritum eius, qui sic vexatur, vti etiam de alijs tentationibus diximus. Hæc tentationis species maximè hominem affligit, quòd omnis boni nostri spem oppugnet, & in hominibus prouectioribus, qui Deum ex toto diligunt corde, magnam turbationem ciet: grauissimè namque & a-

cerrimè eos cruciat, quòd solitam eius, quem super omnia diligunt, spem minimè sentiant.

15. Particularia tentationis huius remedia, præter communia antè declarata, consistunt in eo, vt intellectus rationibus efficacissimis, quas grauissimi etiam peccatores statim atque ad Deum conuertuntur, habent, ad æternæ salutis spem concipiendam benè illuminetur. Desperationis quippe tẽtatio in sinistra quadam de diuina misericordia, deque ijs, quæ ipse ad hominum salutem omnibus prouidit, remedijs, opinione consistit. Vnde contraria, ad obscuratum intellectum illuminandum, vtque is ipsa spei motiua magni faciat, & eadem perpendat, (vt pote quæ ipsas etiam petras emollire queant) arma sunt, propria tentationis huius remedia. De hisce motiuis (quę ad tria capita reducuntur, ad naturalem scilicet diuinę bonitatis ad benefaciendum inclinationem, deinde ad mysteriũ incarnationis & passionis Christi Domini, qui peccatores venit saluos facere, demum ad fidelissima promissa in Euangelio expressa) tractaui pluribus in Arte benè moriendi, cùm desperationis tentatio tunc potissimùm eos, qui

inermes

inermes sunt, affligere & impetere soleat Non est porrò quòd diutiùs his immorer.

16. Circa tentationem ad odium Dei instigantem notandum, ea multos Dei seruos quàm acerrimè diuexari, dum in parte inferiore magnam à Deo rebusque ad eius obsequium spectantibus auersionem sentiunt. Et est profectò mirabile, illos, cùm & puræ conscientię sint & vitę, magnoque erga Deum amore ferantur, mortalem quamdam desolationem sentire, ac putare se ab illo opprimi. sed quãuis hoc modo exagitentur, non minùs tamen sedulò quàm antè ea, quæ ad Dei cultum spectant, exequuntur, nec ab ijs vel in minimo segnescunt. Animæ hæ à prudentibus & spiritualibus Dei seruis magnopere consolandæ & iuuandæ sunt: quia desolatio hæc grauissima est.

17. Particularia grauissimæ huius tentationis remedia, præter communia illa, sunt hæc ipsa, quę suprà in tentatione blasphemię assignata sunt, quęplerumq; simul cum tentatione odij concurrit. Vnde minimè opus est, vt diutiùs hic his immorer.

18. Quo ad alias tentationes, non adeò graues, quæ cum aliqua passionum

comotione fiunt, conferet tractatus de Passionibus, in quo illarum remedia proponuntur.

TRACTATVS

DE PASSIONIBVS.

S.Th 1 q. 22. 23. &c. 1. QVAERITVR, quid passio? Respondeo per nomen hoc in proposita materia à Philosophis Theologisque quemdam appetitus sensitiui actum intelligi, qui ad boni, quod sibi conueniens credit; vel mali, quod nociturum sibi putat, imaginationem mouetur: adeò vt aliqua hic corporis commotio vel mutatio, ac præsertim cordis, in quo potissimum passiones sentiuntur, interueniat.

2. Quæritur quid sit appetitus sensitiuus? Respondeo, est quædam animæ cum corpore coniuncta facultas, quę in inferiori hominis portione consistit, & pro obiecto bonum aut malum sensibile, illi per imaginationem, cum quadam cōuenientiæ vel disconuenientię æstimatione propositum habet. Sedem hic ha-

bet in hepate simul & corde, vel in solo corde, iuxta aliorum opiniones: diuiditur autem in duas partes, concupiscibilem, & irascibilem.

3. Quæritur, quæ sit inferior hominis pars, in qua sensitiuus appetitus resideat? Respondeo; ad hanc inferiorem hominis partem intelligendam notandum est cum Sancto Thoma 1. p. qu.79. art.9. Intellectum hominis, in quantum diuina contemplatur & æterna, vel ea ad actiones suas dirigendas & alia facienda intuetur, rationem superiorem dici; & in quantum contemplatur creata, rationem vocari inferiorem · adeò vt ipse in rationem superiorem & inferiorem, vel in portionem rationis superiorem & inferiorem diuidatur; quod idem planè est. Duabus hisce portionibus respondent aliæ duæ in voluntate portiones, in quantum ipsa per superioris & inferioris partis intellectus rationes mouetur. Notandum adhæc, totam sensitiuam hominis partem vocari posse rationem inferiorem, in quantum intellectus ac voluntatis imperio obedire potest. Notandum denique, communiter á viris spiritualibus per partem hominis inferiorem totam partem sensitiuam intelligi, in qua ap-

peti-

petitus sensitiuus includitur, ad cuius mortificationem necesse est scire ea, quæ præsenti tractatu continentur: nec non scire quid quoad hoc diabolus facere possit, imaginationem, passiones, & humores emouendo. Ad hoc etiam iuuerit infra primos numeros Tractatus de discretione spirituum legere.

4. Quæritur, quod sit officium partis concupiscibilis & irrascibilis? Respondeo, concupiscibilis munus esse, erga bona sibi proportionata ferri ac moueri, mala autem sibi contraria fugere; irascibilis verò debitum esse aduersus difficultates, quæ cum in bonorum consecutione, tum in malorum, quæ in concupiscibili sunt, fuga occurrunt, decertare: adeò vt ipsa sit instar hominis armati, & ad impedimentorum occurentium difficultates superandas præparati.

5. Quæritur, quot sint passiones? Respondeo esse vndecim: quarum sex sint in Concupiscibili, quinque in Irascibili. Concupiscibilis passiones sunt, Amor; qui nihil est aliud quàm quædam appetitus erga bonum iam cognitum propensio & complacentia. Desiderium, siue concupiscentia; quod quædam amoris est progressio & extensio, seseq; ad bonum am-

plectendum extendit: Gaudium vel delectatio; quod nihil est aliud quam quidam appetitionis motus in ipsa boni possessione situs. Atque hæ tres passiones bonum respiciunt appetibile. Odium; quod quædam est mali in appetitu dissonantia vel disconuenientia: Fuga aut abominatio; quæ quædam est alienatio & abstractio appetitus á malo. Tristitia vel dolor; quæ est appetitus per internam mali præsentis apprehensionem, aut propter malum corpori coniunctum cum apprehensione sensus oppressio. Et tres hæ passiones nō aliter respiciunt malum, quam vt ipsum euitent. Passiones irascibilis sunt spes; quę aliud non est, quam quædam appetitus erga bonum arduum, quod acquirere se posse credit, motio & erectio: Audacia; quæ quidam scilicet appetitionis erga bonum instans & arduum motus: Desperatio; quæ est appetitionis propter boni ardui, quod obtinere se posse diffidit, difficultatem deiectio. Timor; qui est appetitionis à malo futuro, arduo, sed tamen euitabili, regressus & subductio: Ira denique, quæ quidam appetitionis motus est ad vindictam, quando scilicet aliquam iniuriam accipit

6. Quæritur, quod sit bonum vel ma-

lum, quod appetitus sensitiuus respicit? Respondeo, bonum quod appetitus sensitiuus respicit, in tres illas species Philosophis notas diuidi; nempe in bonum honestum, vtile, ac delectabile; bonum inquam, verum vel saltem apparens, erga quod appetitus mouetur, simul etiam tria mala contraria; scilicet infamiam, incommodum vel damnum, & mœstitiam, vel dolorem fugiendo: Quod notandum cum primis est, vt ipse passionum scopus clarè & distinctè hoc modo cognitus habeatur; adeò vt ex hac notatione vnusquisq; si quando ab aliqua se passionum impeti sentit, compertutus sit, verum aliquod vel apparẽs se bonũ quęrere.

7. Quæritur, quis passionum sit cum prima & principali, amore scilicet, ordo? Respondeo, ita reliquas passiones subordinatas & colligatas cum prima, id est amore esse, vt non aliter quam huius ratione vel respectu (cuius nimirum motio præcedit) ipsæ moueantur. adeo vt nihil aliud homo desideret, vel alio nullo delectetur, nisi eo quod amat; aliud non oderit vel fugiat, vel ob aliud doleat, nisi ob malum, quod bono amato opponitur; nemo etiam quid aliud speret, vel ob aliud pugnare audeat, nisi ob id quod

amat; nemo denique deſperet, timeat aut iraſcatur, niſi etiam ob bonum, quod amat

8. Quæritur, num paſſiones actus ſint boni vel mali? Reſpondeo ex ſententia Ariſtotelis, & communi Theologorum cum D. Thoma ſententia, amorem propriè dictum, & omnes paſſiones ratione regulatas & directas, actus eſſe bonos; ſed vbi inordinatæ fuerint, & rationis normam ac præſcriptum excedunt, malos fieri. Vnde egregia & digna hæc ſequitur obſeruatio, ſcilicet, eum qui paſſiones mortificare intendit, per ipſos illarum, ad mediocritatem, quam ratio exigit, reductarum actus, excellentes quaſdam ſibi virtutes comparare. Et è contra qui inordinatè ſeſe ab ijs abripi regiq; ſinit, peſſimos vitiorum habitus acquirere.

9. Quæritur, num paſſiones rationi totaliter obediant? Reſpondeo cum S. Thoma 1.2 qu.17. art. 7. quòd non; quia non ab anima tantũ, ſed & à corpore dependent, cuius diſpoſitio non eſt rationis imperio ſubiecta: atque ita verum eſt illud Ariſtotelis 1. Polit. c. 3. ſcilicet rationem Iraſcibili & Concupiſcibili parti dominio & poteſtate politica (nimirum ſi-

cut Rex imperat liberis, qui non semper obtemperant;) non autem despotica, quali Domini seruis imperant, dominari.

10. Quæritur, num passiones interdum hominem vsu rationis priuent? Respondeo, priuare; quod inprimis notandum, vt sic de virorum spiritualium affectibus iudicium feratur; maximè quando passiones à dæmonio commotæ & agitatæ sunt. Nota cum Caietano 1. 2. qu. 12. art. 7 sæpe numero contingere, primum aliquarum indispositionum corporalium principium esse imaginationem, quæ aliquem in appetitu sensitiuo motum causatur, & consequenter corporis dispositionem alterat. Nota cum eodem illo auctore, ob ipsam, quam dedimus, rationem, imaginationem sæpè in causa esse, vt etiam inter vigilandum homini illusiones contingant similes ijs, quas patiuntur phrenetici, aut dormientes: cuius rei causa est ipsa alteratio sensus, idq; propter appetitus sensitiui, & consequenter corporis, secundum naturales qualitates, calorem & frigus, &c. commotionem.

11. Quæritur iam distinctius, quid sit Amor? Respondeo, definitionem amoris

esse

esse hanc, Amor est quidam motus complacentię vel propensionis, quem bonum cognitum in appetitu causatur; adeò vt prima illa impressio, quæ aliquid in corde aut bonum, aut pulchrum apparere facit, dictam in ipso complacentiam vel propensionem excitando, vocetur & sit passio amoris: qui in amorem diuiditur amicitiæ, & amorem concupiscentiæ. Amor amicitiæ est illa appetitus propensio, quæ respicit terminum per se, v. g. cùm respicit aliquem hominem, cui dare gemmam vult: ipse amor hominis amor est amicitię, amor gemmę est amor concupiscentię, quia non respicit gemmam per se; sed in quantum ea amico vel vtilis est aut iucunda.

12 Quæritur, quænam præcipuę sint amoris causę? Respondeo, generales causę sunt istę; Prima, bonitas & pulchritudo; secunda, personarum similitudo; tertia, amor eius qui amat, qui alium in re amata amorem producit; eò quòd amantē amato vnit: quarta, beneficia. Sed causę particulares, quę aliquem amabilem reddunt, sunt plurimę, omnis verbi gratia excellentia doctrinę, nobilitatis, prudentiæ, ingenij perspicacitatis, industrię, &c. Magnum quoque amoris incentiuū

est, gratia naturalis, quę in scita actionum & gestuum consistit compositione, sicut pulchritudo in membrorum proportione. Ad hunc etiam finem multum ipsa confert modestia, ipso etiam Aristotele teste. Hoc Christianos, pulcherrimi vitæ humanę ornamenti parum studiosos, deberet confundere. Notent hic vero Religiosi, quantum ipsis modestię exercitium vtilitatis adferat, cum eius ope omnibus sese quam maximè amabiles reddant. ipsi quoq; sancti nobis consulere solent, vt talibus nos adminiculis proximo amabiles reddamus.

13. Quæritur, quinam sint effectus amoris? Respondeo, sequentes hi. Exstasis, qua homo velut seipso egreditur & rapitur, vt in rem amatam transeat. Liquefactio, quę quædam velut teneritudo est, & animę rarefactio, quę si suos ipsa poros aperiret, ad rem amatã in se attrahendam, perinde atq; spongia aquam attrahit. Vnio, quę vnitiua duarum animarum quodammodo stipulatio & contractus est. Inhæsio mutua, quæ rerũ iam vnitarum & coniunctarum, velut constrictio est. Penetratio, qua scilicet amãs in amantem cordialibus quibusdam affectibus intrat. Transformatio; qua amans

in formam vel perfectionem eius quem amat mutari desiderat. Zelus denique ardens, quo nullum vult in bono quo fruitur riualem aut socium. Hi autem amoris effectus maiori exercentur energia, quãdo bonum amatum iam possidetur. Quãdo autem post ardens desiderium, qui feruor vocatur, ipsum non possidetur, sequitur quidam amoris effectus, quem languorem vocant, qui ob excessiuum, quem è boni amati carentia sentit, dolorem & pœnam, esse mortis causa solet.

14. Quæritur, num passio amoris, eiusque effectus, nec non alię passiones in voluntate sint? Respondeo quod non, in ea tamen sunt quidam ipsius voluntatis actus, qui ijsdem, quibus passiones, nominibus vocantur, amor, gaudium, delectatio, odium, &c. Id tamen inter vtrasque discrimen est, quod illi actus voluntatis sint actus simplices & magis eleuati, nec corporalem illam causentur commotionem, quam causantur passiones. Vnde sequitur, tractatus huius intelligentiam esse ad sublimiores spirituales partis superioris res intelligendas vtilissimam.

15. Quæritur, quibusnam possit inordinatus amor remedijs curari? Respondeo, hisce sequentibus; primo, cogitatio

nes & sensus diuertendo; secundo, rerum inordinatè amatarum imperfectiones considerando; tertio, damna ex amore inordinato promanantia perpendendo; quartò, alijs sese rebus, quę cogitationes distrahant, occupando; quintò, alia suauiora & amabiliora affectui proponendo, v. g. honorem æternum, diuitias, & consolationem cœlestem; & affectum ab amabilibus terrę rebus per diuinam gratiam auellere, & ad meliora eum attollere procurando. Huc non mediocriter conferet religiosa quædam super se ipsum vigilia & excubatio, quaque homines verè spirituales excubant, vt cum attentione notent & obseruent, qui nam in parte inferiori amores commoueri soleant, vt quamprimum hos per hanc cordis, quam diximns, eleuationem rescindant. Verbi gratia, cum videt Religiosus ab alijs se magni fieri, & honorari, & statim interius se ab humanę huius æstimationis amore moueri & titillari sentit; passionē hanc illico abscindere debet, ad æternum honorem cor sustollendo, ac dicere: Absit à me omnis vanę glorię complacentia, æternę potius acquirendę attendere volo, quę per terrenę & humanę huius contēptum comparatur.

16. Quæ

16. Quæritur, quid sit odium? Respondeo, ex doctrina, quam de amore tradidimus, de odio facile posse iudicium ferri quantũ ad essentiam, causas, effectus, & remedia eiusdem. Et quantum ad essentiam, odium, iuxta doctrinam Diui Thomę 1. 2. q. 29. art. 1. quædam est appetitus dissonantia, auersio vel alienatio ab ijs rebus, quę habentur vulgò malæ vel noxiæ.

17. Quæritur, quotuplex sit odium? Respondeo, id diuidi in odium abominationis, vel fugam; & in odium inimicitię: secundum id est, quando appetitus ei, quem odit, mala vel ipse facere vult, vel vt alij faciant cupit; primum verò non mouetur cum aliqua prosecutione contra id quod odit, sed cum eius auersione.

18. Quæritur, quænam sint odij causæ? Respondeo, generales odij causas esse illas, quę causis amoris directè aduersantur. Prima est imperfectio, quæ bonitati opponitur; & deformitas, quę pulchritudini. Secunda est dissimilitudo. Tertia, maleuolentia, qua is qui odio est, fertur in eum á quo odio habetur. Quarta, mala irrogata, v. g. iniurię, persecutiones, &c. sunt & alię plures odij causæ particulares, quæ aliquem exosum red-

dunt, ac præſertim vitia, & maximè ea, quæ magis in aliorum oculos incurrunt & proximum magis offendunt.

19. Quæritur; quinam ſint odij effectus? Reſpondeo, motus contrarij illis effectibus amoris, quos diximus, ecſtaſi, vnioni, &c. Hi autem ſunt notorij, & hos nemo non ex ijs, quę de effectibus amoris tradidimus, intelliget.

20. Quæritur, quænam ſint odij curandi remedia? Reſpondeo, remedia hæc pariter à contrario, vel à ſimili peti. In primo remedio conueniunt ex parte duę hę paſſiones inuicem contrarię: quia tam in amore inordinato, quam in odio inordinato, cogitationes huiuſmodi paſſiones excitare ſolitas opus eſt diuertere. Non tamē totaliter hęc conueniunt. quia odij inordinati paſſio non rarò curatur, dum homo agere & communicare geſtit cum ijs, quos odio proſequitur; vt per experientiam cognitum eſt; maximè quando ipſum odium in falſis imaginationibus fundatur. Secundum remedium eſt, conſiderare perfectiones perſonæ exoſæ, eas veris vel imaginarijs, quas in ea ſibi fingit vel notat, imperfectionibus ex oppoſito obijciendo. Ac licet nihil prorſus in ea notetur, quod ad amorem hominem

inuitet; illud tamen certum eſt, quod à Chriſto hæc ametur, qui cum doctrina, tũ etiam exemplo proximi nobis dilectionẽ inculcat. Tertium ſimile etiam eſt ei, quo inordinatus amor curatur, conſiderare videlicet damna, quę ex odio inordinato profluunt. Quartum etiam ſimile eſt, nimirum varijs ſe rebus occupare, ne quis id genus cogitationibus & paſſioni detur locus. Quintum proponere appetitui ea, quæ verè odio digna ſint, vti damnatio æterna, peccati deformitas, &c. & odium in illa conuertere & applicare: per hanc quippe applicationem hęc odij refrenatur paſſio, vt non abominetur ea, quę ſibi diſplicent, ideo tantum, quod pœnoſa & faſtidioſa ſunt. Quod ſanè cum per conſiderationes pias, tum ipſum gratię diuinæ, quę nimirum ea, quę verè odio digna sũt, diſcernere facit ab ijs, quę talia non ſunt, robur & lucem fœliciter ſuccedit.

21. Quæritur, quid ſit Concupiſcentia? Reſpondeo, ſecunda, quę immediatè poſt amorem ſequitur, & concupiſcentia vel deſiderium vocatur, paſſio eſt quidam motus appetitus circa bonum ſenſibile futurum, adeo vt hæc quædam velut amoris ſit extenſio. Bonum namq; ſtatim atque æſtimari incipit, primam impreſſi-

onem facit; ipsam sc. complacentiam vel propensionem, quę dicitur amor; deinde ipse appetitus erga bonum hoc amatum se extendit, & hic extensionis motus est ipsa passio concupiscentiæ.

22. Queritur, quotuplex sit concupiscentia? Respondeo duplicis generis esse concupiscentias, ex sententia Aristotelis 3 Ethic. c. 11. & 1. Rhetor. c. 11. Alię quippe vocantur naturales vel irrationales, illę scil. quæ ex ipsa nascuntur natura vel complexione animalis; v. g. ipsa concupiscentia cibi vel potus. Alię dicuntur innaturales vel rationales, illę videlicet, quę æstimatiuam sequuntur, inquantum nimirũ homo bonum hoc, vel illud sibi iudicat esse conueniens, vt eo sese oblectet. Primę homini sunt cum bestijs cõmunes; secundę hominum proprię; qui per facultatem cogitatiuam (quę vocatur Ratio particularis) particulares formare de reb. ad quas animaliũ æstimatiua non pertingit, notitias possunt. v. g. propter has vel illas circumstantias iudicare possunt, hũc vel illum sibi honorem consentaneum fore, & proinde erga hunc appetitum excitare, quod animal irrationale facere non potest, etiamsi alioquin in aliquibus animalibus, puta elephantis, aliqua æstimationis

S. Th. 2. q. 30 a. 3.

tionis

tionis honoris appareant vestigia.

23. Quęritur, num concupiscentię finitę sint vel infinitę? Respondeo, concupiscentias naturales finitas esse, innaturales verò infinitas, vti rectè obseruauit Arist. 1. Polit. c. 6. Quod in ipsis videre est animalibus suas concupiscentias ita moderantib. vt ad certum quendam perueniãt terminum, eumq; non transiliant. sed homines earum limites excedunt, sicut manifestè in auri, diuitiarum, aliarumq; rerum concupiscentia videre fas est. S.Th.1. 2.q.30. a. 4.

24. Quæritur, quęnam concupiscẽtię sint causę? Respondeo easdem esse, quę fuerunt amoris.

25. Quæritur, Ecquę sint concupiscentię remedia? Respondeo, eadem quę amoris: ad quę etiam tria hæc principalia adduntur. Primum, eam iam inde ab initio rescindere. Secundum, ipsa mortis, &c. meditatio. Tertium, considerare non plausibile concupiscentiarum initium, sed infortunatum earum exitum.

26. Quæritur, quid sit fuga? Respondeo; passio illa, quę cõcupiscentię vel desiderio opposita sit, secundum D. Thomam, 1. 2. qu. 30 art. 2. ad 3. proprium nomen nõ habet, sed communi passionum in mali alicuius fuga consistentiũ nomine illam

designabimus. Fuga scilicet vel abominatione, vt sic motum illum appetitus, qui motui concupiscentiæ vel desiderij opponitur, significemus. Diximus, communi fugę vel abominationis nomine me illam designare: quia sub his nominibus omnes passiones, quæ in aliqua detestatione vel auersione vel fuga mali consistunt, significantur & intelliguntur. Hæc porro passio fugę, quidam motus est, in eo situs, vt quis ab eo quod odit malo recedat ac se subducat, & quædam odij velut extensio est, sicut ante desiderium vel concupiscentiam quamdam amoris esse diximus extensionem.

27. Quæritur, quænam sint fugæ causæ ac remedia? Respondeo, eadem esse quæ odij: quæ adeo sunt intellectu facilia ei, qui quæ de odio dicta sunt intellexit, vt aliud hic adferre necesse non sit; quàm, quod qui inordinatè odit, inordinatè etiam fugit ea; quę nec odisse, nec fugere deberet, sicut in disciplina monastica videre est, quia quando quis laborem illius exosum habet, non satis illi est eum odisse, sed occasiones etiam, vbi hic illi iniungi vel verbis commendari posset, fugere conatur. Necesse autem est hic viriliter certare, occasionibus sese vltro

offerendo, ne anima in ijs, quę ad Dei cultum spectant, languescat aut intepescat.

28. Quæritur, quid sit delectatio? Respondeo, delectatio vel gaudium, motus est partis concupiscibilis circa bonum præsens, & ipse amoris terminus. Per amorem quippe primò appetitus in rem amatam inclinat; deinde per desiderium se extendit; demum quando eam iam præsentem habet ac fruitur, quiescit & in illa per actum quēdam, qui in bestijs omnibus vocatur Delectatio, in homine vero Gaudium, (quia sequitur apprehensionem cogitatiuę, quę Ratio particularis vocatur) sistit. Hæc passio quando inordinata est, pessima est, animæque maximè nocet.

29. Quæritur, ecquę sint delectationis causæ? Respondeo, causas esse omnia quę amantur & desiderantur: quę cum jam habentur, & ijs homo fruitur, delectant: quia sicut, quando absentia sunt, adferūt desiderium; sic cum præsentia sunt, recreant & oblectant.

30. Quæritur, qui sint effectus delectationis? Respondeo, hi sequentes. Primus, dilatatio; per quā sese animus dilatat ad bonum, quo fruitur, capiendum. Secun-

dus, sitis quædam vel desiderium, quando nimirum bonum, quod habètur, non satiat; partim quod exiguum id sit & insufficiens, vti videre est in bonis transitorijs; partim, quia ipsa animę operatio est imperfecta, etsi alioquin bonum ipsum sit perfectum: sicut ex ipsa imperfectione operationum animę erga Deum in hac vita colligitur; atque ideo delectatio, quæ ex Deo imperfectè à nobis cognito percipitur, quamdam perfectè eius cognoscendi & eo fruendi perfectè generat sitim ac desiderium. Vniuersaliter quoq; õnis delectatio etiam ea, quæ circa gloriã versatur, sitim generare dicitur; per sitim quandam intelligendo voluntatem vel affectum intendendi bono, quod iam habetur. Tertius effectus, secundo contrarius, est quando anima à delectatione illecta, limites debitos excedit: quod in delectationib. corporalibus contingit, (v. g. quando quis, ciborum sapore inescatus, nimium comedit) vnde quoddam enascitur fastidium: longè secus ac in bonorũ spiritualium gustu fieri solet, vti benè obseruauit Pontifex Gregorius Hom. 36. in Euangel. Nota, delicias spirituales, ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q 33. artic. 2. per se terminos excedere non posse, multò etiã

minus animæ circa easdem operationes: sed tantum accidentaliter, respectu operationum corporalium, quæ simul cum hisce delicijs concurrunt, & corpus exhauriunt, viresq; eiusdem elidunt. Quartus effectus est, ipsam impedire cognitionem, intellige videlicet, quando delectatio est alterius operationis quam ipsa cognitio, vti docet Arist. l. 6. Ethic. c. 5. & D. Thomas 1.2 q.33. art. 3. quia dum delectatio ex ipsa hauritur cognitione, eam citius perficit. Quintus delectationis effectus est ipsam perficere operatione, vnde sumitur, vti docet D. Thom. quæstionis allegatæ art. 4. & Arist. 10. Ethic. c. 4. & 5. Ratio huius effectus est, quod delectatio ea, quæ sentitur, suauitate operantem exstimulat, vt multò operetur intensius. Nota hic Dei prouidentiam, qui ideo delectationem, in operationib. necessarijs collocauit, ne aut defatigarent hominem, aut contemnerentur.

31. Quæritur, quænam sint delectationis remedia? Respondeo, quod antequam ea capiatur, eadem sint quę amoris & concupiscentię. Quando verò iam ad actum peruentum est, si quidem delectationes illicitę sint, optimum remedium est ab ijsdē desistere; si licitæ sint, remedium erit mo-

deratio, ne terminos debitos excedant. Huc confert & conducit ipſe Dei timor, conſiderationes iudicij, mortis, inferni, nec non cæleſtis contemplatio glorię; ſicut de concupiſcentia antè dictum eſt: his n. conſiderationibus Dei ſerui appetitus vehementiam temperare ſolent, futura tormenta, vel alias delectationes maiores & meliores illi obiiciendo: adeo vt etiam quando comedunt vel bibunt, vel aliud quid ſimile ad vitam præſentem neceſſarium, è quo licita aliqua hauritur delectatio, faciunt, animum ab eo diſtrahant, & ad cæleſtia ſuſtollant, ita vt è rebus hiſce corporeis paruam aut etiam nullam conſolationem voluptatemque ſentiant.

32. Quæritur, quid ſit dolor vel triſtitia? Reſpondetur, dolor vel triſtitia (quę paſſionum in parte concupiſcibili conſiſtentiū vltima eſt) metus eſt, quo appetitus ſub pondere mali præſentis affligitur, perturbatur, & inquietatur, præſentis dicô aut realiter vel imaginariè tantum, aliter longè, quam in delectatione fit, in qua nimirum appetitus aliquam propter boni præſentis vel ſperati poſſeſſionem ſentit conſolationem.

33. Quæritur, quotuplex ſit dolor? Reſpōdeo; diuiditur js in eum, qui apprehenſio-

nem ſequitur ſenſitiuã, cum æſtimatione inconuenientiæ, qui in alijs animalibus omnibus, vno excepto homine, eſſe poteſt: & in eum, qui ſequitur cogitatiuam, qui ſoli homini proprius eſt; & hic propriè vocatur triſtitia; & eam cum dolore proportionem habet, quam gaudium cum delectatione, vt tradit D. Thomas 1. 2. q. 35. art. 2. Diuiditur adhæc dolor in interiorem & exteriorem. Interior dicitur is, qui ſolam ſequitur interiorem alicuius mali appetitui repugnantis apprehenſionẽ; exterior vocatur is. qui non ſolam apprehenſionem interiorem, verùm etiam apprehenſionem ſenſuũ exteriorum alicuius mali, quod reipſa aliquam corpori læſionem infert. Diuiditur deinde dolor, qui homini proprius eſt, & vocatur triſtitia, in alios multos triſtitiæ modos, verbi gratia, miſericordiam, inuidiam, accediam, anguſtiam vel anxietatem, pœnitentiam, nemeſin, zelum vel æmulationem. Miſericordia, eſt triſtitia ob malum alienum, quod quis habet vt proprium: Inuidia eſt triſtitia de bono alieno, quod quis ceu proprium malum æſtimat: Anguſtia vel anxietas, eſt triſtitia adeo grauans & opprimens, vt euitari non poſſe videatur: Acedia, triſtitia eſt, quæ ita ho-

minem occupat, vt membrorũ impediat vſum: Pœnitentia, triſtitia eſt de temporali alterius bono, in quantum eum eodẽ indignum reputamus: Aemulatio, eſt triſtitia de bono alterius, in quantum id æmulanti deeſt.

34. Quæritur, quænam doloris & triſtitiæ ſint cauſę? Reſpondeo, eas varias eſſe: ſc. non conſequi bonum deſideratũ, amittere bonum poſſeſſum, in id labi inconueniens quod timebatur, boni deſiderati dilatio; & alię plures aut verę, aut imaginariæ. Triſtitia etiam interdum ſine vlla cauſa oritur, & tantum ex inualitudine & indiſpoſitione corporis, aut diaboli opera. Inter triſtitię cauſas etiam referri poſſunt ſeptem illi triſtitię modi vel ſpecies numero præcedenti explicatę.

35. Quæritur, qui ſint inordinatę triſtitię effectus? Reſpondeo eos varios eſſe, vti docet D. Thom. 1. 2. q. 37. Primus, quando ea immoderata eſt, in tantum animam grauat & corpus, vt intellectus operationẽ interdũ adeo impediat, vt nihil de nouo ediſcere homo valeat, & intellectus aliquib. in rebus nihil intelligere. Notabile quoad hoc eſt, quod de D. Gregorio notat D. Thom. q. 37. ſci. hunc triſtitia oppreſſum commentionem in Ezechielem

cœptam vel abrupisse vel intermisisse. Secundus, tristitia omnia alia opera, quę animo tristi peraguntur, eneruat aut infirmat. Tertiò, ipsa capitalis hostis est spiritus: adeo vt passim omnes spirituales magistri concordi sententia asserant, nullam hac passionem esse animę vel corpori nocentiorem. Vnde S. Bernardus tractatu de Interiori domo c. 52. sic de ea loquitur: Tristitia omnis boni impedimentum est. Quamobrem sequendum illud Ecclesiastici c. 30. consilium, Tristitiam longè expelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in ea. quod de tristitia mala intelligendum est. Est namq; etiam quoddam bonę tristitię genus, quam Apostolus 2. Cor. 7. vocat tristitiam secundum Deum; ad distinctionem eius, quam hic ipse alio loco tristitiam sæculi vocat. Illa, inquit, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; hæc verò mortem operatur. Tristitia autem secundum Deum est illa, quę propter patrata peccata, vel visionem Dei dilatam, similesue ob causas oritur. Quæ etiam, si nimię sint & modū excedant, temperandę & moderandę sunt.

36. Quæritur, quæ sint tristitiæ remedia? Respondeo, noxię tristitiæ remedia aduersus malum æstimationem vel opi-

nionem nostram potissimum conuertenda esse: quia reuera tristitia sæpè magis ab æstimatiua oritur & apprehensione, quã è malo, ob quod contristamur: quia experientia videmus, nos ob rem aliquã, quę prius nos valdè contristabat, (v. g. facultatum vel filiorum iactura) post aliquot dies elapsos, non vsque adeo contristari Cuius rei alia non est causa, quã ipsa mutatio opinionis; cum ipsum malum, quod causa erat tristitię, mutatum nõ sit. Quod ipse etiam Cicero q. 5. Tusculana notauit, Remedia autem sunt sequentia. Primò, malum ipsum quod sequi potest, præmeditari; tunc quippe minorem id, cũ aduenerit, in animo impressionem facit. Secũdò, quando malum iam aduenerit, cogitare, nobis hic magnorum bonorum acquirendorum, pręstantium sc. virtutum, patientiæ puta, humilitatis, fortitudinis, &c. occasiones offerri. Tertiò considerare, quid alij passi sint vel patiantur: quia cum alium quempiam eadem tribulatione opprimi videmus, ipsa tristitia propria multò fit tollerabilior. Quartò aduertere, dum tristitiæ habenę laxantur, adeo malum, quod contristat, non minui, vt etiam adaugeatur. Quintò, superiorum tribulationum, á quibus patiens iam ereptus est,

memo-

memoria. Sextò, lacrymę tristitiam etiam minuere solent: verum non propterea nimis illis habenæ laxandæ sunt; quia ad malum, quod contristat, tollendū parum aut nihil prosunt. Septimo, considerare detrimenta, quæ tristitia afferre consueuit, de quib. egimus, dum de eiusdem loqueremur effectib. Deniq; quodcumque delectat, ad tristitiam imminuendā facit: atq; hæc est ratio, cur melancholici tantopere ad delectationes captandas moueantur, vt notat Arist. 7 Ethic. c. 14. Circa tristitię autem remedia notandum est, in statu Religioso maxima esse ad eandem curandam adiumenta, præsertim ob eximiam fraternamq; illam caritatè, qua Religiosi sibi inuicē succurrunt & solantur, dum vnus alterius, qui tribulatus est, afflictiones in se recipit, & proinde eum suo pondere exonerat.

DE PASSIONIBVS *Partis Irascibilis.*

37. QVæritur, quid sit spes? Respondeo, prima partis irascibilis passio, quæ dicitur spes, est quidam motus appetitus erga bonum arduum vel difficile, ita tamen difficile, vt acquiri posse credatur. Est hæc quædam velut cordis erectio, quę ad ad virtutes comparandas mirificè conducit, cùm bonis sese subiectis applicat.

38. Quæritur, quænam sint causæ spei? Respondeo, illæ quæ facultatem bona difficilia acquirendi conferunt, quales sunt robur corporis, ingenium, industria, Principum fauor, &c. Illę etiam, quę hominem credere faciunt, bona hæc possibilia esse. Hanc ob causam dixit Aristoteles 3. Ethic. cap 8. ebrios plenos esse spei. quod ipsum lib. 2. Rhetoric. cap 12. asserit de iuuenib. Quod (vt testatur D. Thomas 1. 2. q. 40. art. 6.) à quadam ignorantia & inconsideratione difficultatum, quin & ab exigua oritur experientia: quia propter has causas facilè se acquirere posse credunt, quod volunt. Ad credulitatem

hanc

hanc etiam facit feruens ætatis vel vini calor, quo accensi multò se ad aggrediendum ardua, quæ amant, animosiores & excitatiores sentiunt. Sed vt spiritualiter loquamur, ipsa diuini auxilij, quod nunquam deest, consideratio potentissima est spei ad res arduas & pias suscipiendas excitandę ratio. Atq; hoc potissimũ locum habet, quando iam vsu ipso didicit homo, diuina sese ope magnas difficultates superasse.

39. Quæritur, quinam sint spei effectus? Respondeo, primus, exhilarare; secundus, ad nouas difficultates corroborare; tertius hominem ad ardua & generosa opera expeditum & velocem facere: quorum effectuum quotidiana & notissima, tum in spe vana sæcularium, tum in pia & vera discipulorum scholę Christi Domini, exempla videre licet.

40. Quæritur, quęnã inordinatæ spei curandę remedia sint? Respondeo, primo bonorum mundanorum & apparentium, vanitatem considerare; secundo, exempla recolere eorum, qui cum suam in hominibus spem collocassent, miserè & vixerunt & mortui sunt; tertio, passionem hanc ad alia verorum bonorum, v. g. virtutum verarum, & æternę fœlicitatis ob-

iecta conuertere. Tertium hoc remediũ, & maximi momenti & optimum est, & ipsum homines spirituales vsurpare deberent, permagni id ipsum faciendo, & imaginatiuę suę casus arduos & difficiles representare, & magnis quibusdam cordis erectionibus spem excitare, cũ Apostolo dicendo: Omnia possum in eo qui
Phil. 4. me confortat.

41 Quæritur, quid sit Desperatio? Respondeo cum D. Thom. 1. 2. q. 40. artic. 4. Desperatio est quidam motus appetitus, qui à difficultate in re aliqua ardua assequenda occurrente quodammodo victus deficit, & ab eadem vlterius prosequenda desistit, quod se eam consequi posse desperet. Hoc consecutionis nomine ipsam intelligimus difficultatum in boni alicuius acquisitione, & mali euitatione occurrentium victoriam: cum circa duos hos intuitus ipsa desperatio versetur; sed longè secus atque spes, quæ cũ circa eosdem etiam versetur, eos sese superare posse credit & confidit.

42. Quæritur quænam sint desperationis causæ? Respondeo, eę quæ contrariæ sunt causis spei. Prima quædam est insufficientia, vel virium, ingenij, amicitiarum, fauorum &c. defectus. Secunda,

æstimatio, etiam falsa, infirmitatis, quin & inertia, quæ in causa est, cur multi animo cadant, quib. tamen sufficientes sunt vires & industria par. Tertia est, desolatio vel derelectio inferior, præsertim quando mala accesserit cōscientia. Inde est, quod multi mundani viuant (vt dicitur) à desperatis, ideoq; dum de salute æterna ijs fit mentio, peregrinum quid & impertinens audire se credunt. Sunt deinde alij plurimi, qui tametsi passioni desperationis habenas adeo non laxent, in materijs tamen spiritualibus magnam animi deiectionem sentiunt, quando post longum tempus & multos conflictus vident passiones se suas non posse subiugare, nec virtutum difficultatem perfringere. Hi nullo non tempore multis remedijs opus habent.

43. Quæritur, quinam sint desperationis effectus? Respondeo, eos opponi effectib. spei. Primò, desperatio contristat; secundo, debilitat; tertio, animam pigrā, & corpus velut paralyticū reddit & iners.

44. Quæritur, quæ sint desperationis pellendæ remedia? Respondeo, remedia desperationis circa bona & desideria terrena ad nostrum propositum non faciunt: nolumus enim sperare in hominib9 mortalibus,& in bonis fallacib. quin imò sup-

ponimus, viros ſpirituales in id genus rebus deſperare. i. plane diffidere, dum magna prudentia ſibi perſuadent, illa nõ eſſe bona, quæ quærunt. Remedia itaq; afferã curandę deſperationis vel animi deiectionis, quando hæc circa bona ſpiritualia, vel etiam temporalia, in quantum hæc ad æterna ordinantur, verſatur. Quibus in caſib. ipſa deſperationis paſſio per ſpei excitatæ eſt paſſionem reprimenda, duo pręcipuè ad hoc remedia vſurpando; primo ſc. exempla conſiderare aliorum, qui in caſib. qui planè deſperati videbãtur, difficultates perrumpendo, quod piè deſiderabant, conſecuti ſunt. Deinde bonitatem & miſericordiam Dei perpendere, qui in reb. ad ſalutem æternam neceſſarijs nunquam deeſt, & non raro per clariſſima exempla in S. Scriptura oſtendit, quam ſibi glorioſum ducat tum opem & ſubſidium adferre, quando res & cauſę videbantur deſperatiſſimæ.

45. Quæritur, quid ſit audacia? Reſpondeo, eſt quidam motus appetitus, quo homo animatus ad arduum & difficile bonum, quod ſe conſecuturum ſperat, conſequendum ſeſe aſtringit. Paſſio hæc, ſpei quædam velut progreſſio & extenſio eſt, & vna cum ſpe bonum arduum,

S.Thõ. 1. 2. q. 45.

quod

quod adipisci se posse credit, intuetur.

46. Quæritur, quænam audaciæ sint causæ? Respondeo, è supradictis sequi, causas audaciæ easdem esse quæ spei: vnde fortitudo, ingenium, aliaque homini facultatem ad magna quædam suscipienda conferētia, nec non æstimatio, vel persuasio, qua homo eadem se facere posse credit, audaciæ passionem excitant. Atq; inprimis ipsum diuinum auxilium, vti ob seruauit Aristot. l. 2. Rhet. c. 5. docens eos cæteris audaciores esse, qui circa diuina optimè dispositi sunt. Ratio est, quia hi sibi multò fidentius firmiusq; diuinam opem promittunt. Atque idcirco idem Arist. eodem loco docet, eos, qui iniurijs affecti sunt, audaciores reddi, quòd credatur ijs Deus potissimum succurrere, qui iniurijs oppressi sunt.

47. Quæritur, quinam sint audaciȩ effectus? Respondeo, causat hȩc frigus & exteriorem membrorum tremorem, vti notauit, D. Thō, 1. 2. q. 44. art. 4. Adhæc calorem circa cor counit, vti idem S. Doctor notat q. 44. a. 1. ad 2. Nota eos, qui è subita quadam apprehensione in pericula, sine vllo discursu præuio ruunt in principio quidem audaces esse, sed progressu deficere, sicut benè obseruat Arist. 3.

Ethic. cap. 7. quod è rei nouitate, & exiguo difficultatum improuisarũ vſu naſcitur. Sed qui permeditatione præmiſſa, audaciam excitant, in progreſſu multò ſunt fortiores & conſtantiores, etſi in principio timeant, vel prę metu contremiſcant: quia dum in progreſſu ſunt, nihil ipſis improuiſum imprę meditatumq; occurrit, ſed omnia deliberatè antè præuiſa ad eadem ſuperanda. Ipſa deinde audacia pia optimos quoſdã effectus ſpirituales producit, (vt pote quę velut aptiſſimũ fortitudinis & magnanimitatis eſt inſtrumentũ) peſſimos verò, quando rebus malis applicatur.

48. Quæritur, quænã ſint audacię inordinatæ remedia? Reſpondeo, eadem eſſe, quæ ſpei inordinatę: nam quib. in caſib. non eſt bonum ſperare; non eſt bonum audere: & in quib. ſpes moderanda vel reprimenda eſt, in ijs multò magis audacia reprimenda eſt. Itaq; vanitatis bonorum terrenorũ (quorum cauſa non eſt conſultum magno ſe periculo exponere) conſideratio; tum mali quod ſequitur inordinatè & temerè audentes exempla, tũ paſſionis contrariæ (i. timoris) motio inordinatę audacię ſunt remedia. Proderit etiã audaciam circa alia obiecta vel difficultates, quarũ victorię pię ſunt & peru-

tiles, excitare, ad imitationem ſc. Martyrum & Confeſſorũ, qui piam ad excellentes virtutum actus exercendos audaciam protulerunt.

49. Quæritur, quid ſit paſſio Timoris? Reſpondeo, timor quidam eſt motus fugæ, per quē appetitus inſtantis mali horrorem concipit, ita tamen, vt aliqua ſemper ſit euaſionis ſpes: niſi n. talis ſpes ſit, nõ iam timoris eſt paſſio, ſed triſtitię, quę eſt mali præſentis. Vnde dicit Ariſt. eos qui iam iam ſupplicio afficiendi ſunt vel interficiendi, non timere, ſed potius contriſtari, cum ſibi mortē repræſentent ineuitabilem. Addit inſuper, mala quæ vt abſentia repręſentantur, nullo modo timeri, v. g. mors, quam nemo non à ſe longè adhuc diſtare credit: negari tamen non poteſt, quin ſaltem aliquis hic ſit timor, vti docet D. Thom. 1. 2. q. 42. ar. 2. ac ſane deberet timor hic eſſe magnus, cùm omni hora & tempore omnis ætatis homines, & quando minus cogitant, emori videamus.

50 Quæritur, quotuplex ſit timoris ſpecies? Reſpondeo, diuidi poſſe timorē, vti & alias paſſiones, in naturalem & rationalem: rationalis porrò, qui hominis ſequitur apprehenſionem & diſcurſum,

in 6. diſtinguitur ſpecies ſecundū D. Thō. 1. 2. q. 41. a. 4. Prima vocatur Segnities, i. timor laboris & difficultatis vires excedere creditur. Secunda, Erubeſcētia, quidam ſc. timor de fama ob culpam aliquā iam cōmiſſam amittenda. Tertia. Verecundia, timor nimirum amittendi nominis ob culpā, quam quis adhuc admittere proponit. Quarta, Admiratio, quod magni alicuius mali, cuius euadendi nulla apparet via, timor eſt. Quinta Stupor, quando timetur tale malum, quod ob nouitatem & inexperientia magnum eſſe videtur. Sexta, Agonia, qua malum timetur, quod timens non poteſt impedire. Sex hæc nomina in alijs etiam ſignificationibus vſurpari ſolent.

51. Quæritur, quænam ſint timoris cauſæ? Reſpondeo, paucis eas verbis cōprehendi poſſe, cū D. Auguſt. l. 83. quæſtion. 33. & D. Thom. 1. 2. q. 43. a. 1. dicendo omnem timorem ab amore vel cōcupiſcentia naſci eius boni, quod contrarium ſit malo quod timetur. Quod intelligendum eſt, dum in timente concurrit aliquis ad malū repellendū, vel ipſum fortiter ferendum virium defectus. Vnde Ariſt. 2. Rhet. c. 5. & D. Thom. in qu. allegatę art. 2. docent, eo minus quem-

quam

quam timidũ esse, quo maiori pollet potentia, v. g amicorum ope, diuitijs, &c. & contra eos, quibus illa subsidia desunt, timere magis solere. Ex hac doctrina sequitur, eos qui malę sunt cõscientiæ, maximè timere solere, cum gratiæ & amicitię diuinę potentia & auxilium ipsis desit. Vnde Sapientiæ c. 17. legitur: Sẽper præsumit sæua perturbata conscientia: cum bona conscientia è contra secura sit.

52. Quæritur, quinam sint effectus timoris? Respondeo, sequentes hi. Primo, si timor moderatus est, intellectum illustrat, vt consilium in reb. agendis capiat, secundum Arist. & S. Thom. Secundò, efficit, vt opera multò sint perfectiora, in quantũ hæc ab animæ applicatione pendent. Vnde consulit Apostol. Philipp. 2. vt salutem nostram operemur cum metu & tremore. Tertiò, per aliam quandam rationem timor impedit operationis perfectionem, in quantum talem corporis motum causat, vt is præ frigore cor constringat: atque idcirco quemdã in membris exteriorib. tremorem causat, & exteriorem impedit operationem. Quartò sitim adfert, vt obseruauit Arist. sect. 27. Problem, q. 8. dicens, ideo timentes frigere, quod calor partes superiores dese-

rat; & ideo sitire, quod humore destituantur. Deinde vt ad spiritualia descendamus, timor inordinatus pessimos in anima effectus producit, inertiæ sc. & fugæ disciplinę religiosæ, &c, Timor verò ordinatus optimos, sc. cautelę spiritualis, obseruantię regularum, &c.

53. Quæritur, ecque timoris inordinati pellendi sint remedia? Respondeo. Primò eadem quę supra amori & concupiscentię inordinatę curandę assignauimus: adeò vt qui nec amat, nec quid inordinatè desiderat, totam timoris radicem præscindat: cum nemo quid aliud timeat, nisi id quod amat vel desiderat. Secundo, timori curando etiam conducunt illa, quę supra tristitiæ vel dolori effugando remedia dedimus: qui namq; mala præsentia, ob quę excitari tristitia consueuit, patienter tolerat, erit ad mala futura, quę timoris sunt causa, inordinatè non timenda optimè dispositus. Tertio, confert quoque non modicè ipsam virtutis relucentis in eis, qui tranquillitatem & magnanimitatem eximiam, quando grauia ipsis mala & pericula ferenda imminent, præferunt, honestatē accuratius considerare. Quartò, vtile erit rationes excogitare & inuenire timori minuendo accōmodas, cum

vt plurimum malum longè appareat grauius quam reuera sit. Quintò, conferet deniq; diuini auxilij consideratio, qua animus egregiè consortari consueuit.

54. Quæritur, quid sit Ira? Respondeo, est quidam motus appetitus, quo ad vindictam sumendam homo exstimulatur de eo, qui illi malum intulit. Passio hæc ipsã mali retributionem habet obiectũ suum. Ad hanc verò intelligendam notandum est, malum dum præsens est, in quantum est præsens, partem irascibilem non mouere, sed tantum concupiscibilẽ per passionem tristitiæ, sc. quæ directè malum præsens respicit. In irascibili tamen aliũ quendam motum excitat, ipsam sc. passionem irę, quæ non malum, sed vindictam ob illud malum vel iniuriam acceptam respicit: & quidem vt quid rationi conforme; perindè ac si rationi consentaneum foret, malum par & æquale rependere ei, qui malum antè nobis intulit. Atque idcirco iram dicit Arist. 7. Ethic. c. 6. aliqualite consequi rationem.

55. Quæritur, quotuplex sit ira? Respondeo, diuidi eã cum D. Tho. 1. 2. q. 46. ar. 8. solere in iram, quę dicitur cholera, illã sc. quę subito accenditur & efferuescit; & in maniam, quę ex ira longa & permanen-

ti nascitur; deniq; in furorem, q̃ nō antè quiescit, quam vltionem de aduersario ceperit.

56. Quæritur, quænam iræ sint causæ? Respōdeo, in homine omnes reduci posse ad paruipensionem, quia ex omnib. causis cōmunis videtur, dum se per illas homo iratus contemni vel parui fieri cogitat, secundum S. Thom. 1. 2. q. 47. art. 2. Aristotel. 2. Rhetor. c. 2. & Plutarch l. de ira cohibenda. Vnde sequitur, quod quo quis excellentior & dignior est, eò indignetur & irascatur magis, quod illi grauior iniuria videatur. E contra ipse excellētiæ & cōmoditatis defectus homines efficere iracundiores solet, in quantum eos contristat; vnde enascitur ira. Hinc fit, vt qui calamitate aliqua vel infirmitate oppressi sunt, facilius irascantur; quod S. Thō. 1. 2. qu. 47. ar. 3. & Arist. l. 2. Rhetor. c. 2. obseruat. Adhæc iram non mediocriter incitat ipsa iniuriâ afficientis vilitas. Vnde consequitur, diuinam in peccatorem indignationem vt infinitam habendā, si ipsa peccatoris vilitas cū summa Dei maiestate conferatur. Ipsa autem iniuria afficientis ignorantia de ira multum diminuit, quod ignorans præsumatur nō aduertere iniuriam quam irrogat. Idem

quoq; sentiendum de ijs, qui sui ob aliquã causam compotes non sunt & mente capti, cum nesciant quid faciant.

57. Quæritur, quinã sint iræ effectus? Respondeo, hi qui sequuntur. Primus, certa quædam delectatio, quę è vindictę æstimatione vel spe nascitur, iuxta D. Thom. 1. 2. q. 48. & Aristot. 2. Rhet. c. 2. doctrinam. Secundus, quidam caloris vel feruoris cordis, ad quod sanguis ascendit, accensio. Tertius, multa signa turbationis in corpore, vti videre est in oculis, lingua, tremore, &c. Quartus, ira plusquam alia quæpiam passio, rationis vsum impedit. Quintus animam ad spiritualia ac diuina ineptissimam reddit.

58. Quæritur, ecquę sint iræ remedia? Respondeo hæc sequentia. Primum, propriam existimationem & rerum temporalium concupiscentiã mortificare. Secundum, non loqui vel facere conari ea, quę animus eo suggerit tempore, quo ira feruet. Tertium, procurare, vt eo tempore, quo iræ impetus cohibetur, ipsius iniuriæ in nobis ipsis opinionem grauitatemque minuamus per ordinarię experiẽtię argumentum, qua sc. constat, irę iam feruore præterito, iniurias admodum exiguas videri, vel etiam nullas. Quartum, conside-

rare iniuriam tam nobis malam non esse, quam est ipsi eam inferenti. quod quidem sentire Christianum est. Quintum, considerare damna, quę è vindictę sumptione sequi solent; quæ tum animę, tũ corpori apprime nocent; q omnib. notissimũ est. Sextum, sanctorum ac præsertim Christi Domini mansuetudinem perpendere, eamque imitari.

Sunt adhæc alia aliene irę placandę remedia: Primum, non resistere, primò eorum iræ impetui. Secundum, quando ea nonnihil iam deferbuit, placidè humiliterq; irascentes alloqui. Tertium, ostendere pœnitentiã, & veniam petere. Quartum, indignantibus & offensis persuadere, non eo animo causam datam esse, vt aliqua inde in eos iniuria redundaret Horum remediorum primum ipse suggerit Apostolus Romanor. 12. Secundum Sapiens Prouerb. 15. Tertium Arist. 2. Rhetor. c. 3. Quartum Plutarchus. & sanè omnia sunt conuenientissima.

Modus porro ad praxim ipsius passionum mortificationis per actus interiores reuocandę è sequentibus colligi poterit exemplis.

Agam de Amore & de Ira, passionibus: quarum illa prima est & facilè principalis;

hæc vero remedio inprimis opus habens, cũ quod facillimè emoueatur, tum quod magna secum afferat damna.

Quod ad amorem quidem spectat. Videbit fortasse quis vestem suã & honoratiorem & commodiorem; hinc statim in illa appetitus sibi complacet, amoris affectum in eo excitando. Tunc verò aliquo è tribus modis sequentibus dictum motũ amputare poterit: quorum primum, ad distinctionem, voco moralem; secundũ Christianum, tertium monasticum & perfectum. Itaq; moralem applicando dicet; Expelle à te complacentiam hanc homine rationali, qui natura alijs animalibus superior, & ad sapientię & virtutum studiũ natus est, indignã; cum intellectus hisce bonis adhęrescens, ab illis diuertatur. Sed per modum Christianum dicere poterit: Ne hæc tibi res placeat, nefas quippe est hominem Christianum, qui pretiosissima immortalitatis veste induẽdus est, & æternis bonis frui debet, ob vilem & inornatam hanc vestem ab illorum studio & acquisitione alienari. Deniq; per modum perfectum & religiosum dicere poterit, ne in hac tibi veste complaceas, quia dedecet hoc eum, qui Christi sequi imitariq; nuditatem debet.

In ira, quæ per iniuriam aut contemptum ab alio acceptũ exsurgit, dicet moraliter: Quiesce ferox appetitus; neq; n decet hominem ratione præditum belluę instar efferascere, & tam absurda ebrietate insanite; cum passionis huius turpitudo in ipso etiam vultu elucescat, dum nimirum oculi inardescunt, labia tremunt, verba semifracta proferuntur, totusq; homo mãsuetudinem, quæ illum, vt pote animal sociale, decet, amittat; sed Christianè dicet: Beati mites, quoniam possidebunt terram viuentium; quid igitur hac te hæreditate beata ob belluinam hanc passionẽ priuare & frustrari vis? Deniq; vt monachus dicet: Christus vt agnus mansuetissimus coram tondentibus se obmutuit, cum malediceretur benedicebat; patiebatur, & non comminabatur, & velut ouis ad lanienam ductus est, & tu non placaberis aut mansuesces?

Ad exemplorum circa passiones propositas methodum ac modũ reliquę omnes mortificari poterunt.

Quod autem ad illas spectat passiones, ad quarum mortificationẽ actus quidam externi requiruntur, & maximè aliqua corporis maceratio; ipsum Directorum spiritualium consilium exquirendum est,

atq; ita fiet, vt qui eas mortificaturus est, secure processurus sit.

TRACTATVS DE VIRTVTIBVS.

HOC tractatu proposui desiderio multorum hominum spiritualium satisfacere, breuem omnium virtutum descriptionem, ac notitiam, simul & breuia quædam monita ad praxin earũ spectantia afferendo, cum alijs in libris diffusius pluribusq; de virtutibus ad disciplinam religiosam spectantib. egerim.

1. Virtus, iuxta communem Theologorum sententiam, de virtute in natura nostra loquendo, nihil est aliud, quam quædam qualitas vel habitus potentiam, in qua versatur, optimè disponens, ad actus aliquos naturæ humanæ consentaneos & conuenientes producendos.

2. Virtus diuidi solet in intellectualem & moralem, cum aliæ virtutum in intellectu, alię in appetitu rationali versentur. i. in voluntate & appetitu sensitiuo, quæ nimirum ad mores spectãt, iuxta naturalem duorum dictorum appetituum

inclinationem.

3. Virtutes intellectuales secundum Arist. 6. Ethic. & D. Thom. 1. 2. qu. 57. sunt quinque, scilicet, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus. Ars quidam est habitus intellectus, qui rerum exteriorum factibilium, puta architecturæ, sculpturæ, & aliquot actionum humanarum (etsi circa materialia vel opera exteriora versentur, vti sunt artes liberales, v. g. Grammatica, vel Rhetorica) modũ præscribit. Scientia est habitus rerum, quæ necessariò ita sunt, vti demonstratur vel concluditur, demonstratiuus. Prudentia est habitus ad benè eligendum; & media ad bonum finem conuenientia præscribenda seruiens: quæ licet virtus intellectualis sit, postea tamen inter morales numeratur, ceu illarum dux & rectrix. Sapientia habitus est, quo intellectus ipsos effectus per causas vniuersalissimas cognoscit, deq; ipsis scientiæ principijs dijudicat: atq; hæc ex sententia Arist. est Metaphysica. Intellectus, primorum principiorum habitus vocatur quo primis ac notissimis scientiarum principijs assentimur. Hæ sunt virtutes intellectuales: quarum quatuor intellectui ad bonos actus i. ad rationis præscriptum directos & regula-

tos, in diuersis materijs faciendos facultatem conferunt; at prudentia insuper facultatem confert, vt actus boni fiant in ordine ad bonum finem. Vnde bonus ille futurus est architectus, qui ædificium aliquod construit cum intentione mala: at propterea non erit prudens, quia hoc fabricę medium ad bonum finem non dirigit, quantum quidem ipsa naturalis ratio iudicat. Hæc sufficiant, vt virtutes illæ intellectuales competenter cognitæ perspectæque habeantur; de quibus plura non addo, cum ad propositum meum non faciant, vt qui de solis moralibus & Theologicis agere virtutibus instituerim.

4. Circa virtutes morales quædam facienda distinctio est: quædam enim illarum seruiunt ad benè agendum & conuersandum cum proximis, ea quæ cum ipsis agenda homini sunt, ritè componēdo ac disponendo: aliæ verò, vt passiones propriæ benè regantur vel componantur. Circa ea quæ cum proximo agenda sunt, decē enumerari virtutum species solēt; Iustitia scil. quę reddit vnicuiq; quę sua sūt; Religio, quæ debitum Deo cultum reddit; Pietas, quæ debita parentibus & patriæ præstat obsequia; Obseruantia, quæ eos qui virtute ac dignitate excellunt, re- S.Thomas harū virtutum

ueretur & colit; Veritas, quæ verum tum verbis, tum factis proferre conatur, promissaq; exequi; & quo ad vltimam hanc partem, de promissis videlicet seruandis, dicitur fides & fidelitas; Gratitudo, quæ in beneficio accepto & gratias agere, & re ipsa ei aliquo beneficio de suo respõdere satagit; Vindicta, vel Iustitia vindicatiua, quæ in iniurijs, prout rationis debitum poscit, vlciscendis sita est; Liberalitas, quæ proximorum vtilitatem spectat, aliqua in illos bona, præsertim pecuniaria conferendo & elargiendo; Magnificentia, quæ magnos sumptus rationi conformes, ad aliorum vtilitatem præstare intendit; Amicitia vel Affabilitas, quæ diuersimodè amicis gratificari studet. Omnes hæ virtutes sitæ sunt in voluntate, aliasq; sub se continẽt, veluti sui partes & membra; quod tũ intelligetur, quando singillatim de ijs tractabimus.

memi- nit in 2. 2. q. 80. art. vnic.

5. Circa passiones decem item sunt virtutum species. Temperantia, quæ passiones appetitus cõcupiscibilis circa obiecta delectabilia, prout supra tetigimus, regit. Liberalitas, quæ etiam in appetitu concupiscibili consistit, & passiones regit amoris concupiscentiæ & delectationis, circa pecuniam videlicet & efficit, vt homo debitè rationabiliterq; sua pecunia vtatur, ma-

Lege Arist. 2 Ethic. c. 7. & S. Thõ. 1. 2. q. 60. a. 5.

ximè

ximè in eadem danda. Philotimia, quę in concupiscibili sita est, tres superiores passiones circa honores & dignitates moderatur. Magnificentia, quæ debitam pecuniæ acquisitionem spectat, in quantum illa bonum est acquisitu difficile; ideoq; passiones regit spei, desperationis, eas ad debitum moderationis præscriptũ reducendo; inq; parte irascibili versatur, in qua dictas passiones inuenire est. Magnanimitas, quę in irascibili consistit, & easdem passiones regit, dum circa honores & dignitates versantur; in quantum bona sunt, quæ difficile sit consequi. Veritas, quæ id spectat, vt quod sentit, verbis factisque decentibus declaret, in quantum loquens hac sui manifestatione gaudet: hæc porro veritas in parte versatur concupiscibili, inque obiectum suum hanc sui communicationẽ habet, in quantum ipsa absolutè communicantem delectat & recreat. Amicitia, vel Affabilitas, quæ alijs sese in reb. serijs comiter accommodare satagit, versaturq; in parte concupiscibili. Eutrapelia, quæ comem facetamq; se in ludicris & recreationib. ostendere gestit: sita aũt in concupiscibili. Fortitudo, quæ in irascibili sita, regit audaciam & timorem, iisq; passionibus vtitur, in quantum eæ necessariæ & vtiles

Id est amor honoris.

ad bonum aliquod rationi conforme asse-
quendum. Mansuetudo, quæ moderatur
iram, & in Irascibili inuenitur. Harum vir-
tutum multæ alias sub se, velut sui partes
complectuntur, vti suo ostendemus loco.

6 Circa Liberalitatem, Magnificentiã, Veritatem, Amicitiam notandũ est, quod quamuis eadem harum virtutum sint nomina quæ illarum, quas numerauimus in voluntate quoad operationes, & in appetitu concupiscibili & irascibili quoad passiones: diuersæ tamen verè sunt virtutes. Eò quòd illæ, quæ voluntatis sunt, suum obiectum formaliter respiciant, in quantũ est bonum proximi; sed hæ, quæ appetitus sensitiui sunt, suum formaliter obiectum respiciant, in quantum tendit in bonum ipsius operantis. Hinc S. Thom 1. p. q. 21. a. 1. ad 1. Liberalitatem & Magnificentiam in voluntate posuit, atq; idem Liberalitatem in Concupiscibili, Magnificentiam in Irascibili, 1. 2. qu. 6. ar. 5. ponit: ꝙ simul consistere nequit, nisi diuersę sint virtutes. De alijs autem virtutibus alia S. huius Doctoris loca omitto.

7. Inter omnes virtutes, quæ bonũ morale conformiter ad rationis rectitudinem respiciunt, sunt ipsæ quatuor cardinales, .i. principales: quæ idcirco principales &

primariæ habentur, quod in harum singulis eximium quid elucescat, quod ad virtutis dignitatem pertinet. Prima est Prudentia, quæ excellenti quodam modo bonum morale, rationi conforme, vt obiectū suum respicit, cum in ipsa ratione. i. in ipso intellectu, velut in proprio subiecto versetur. Secunda est Iustitia, quæ excellenter bonū rationis respicit, quoad proximum Tertia estFortitudo, per quam homo cum insigni excellentia bonum proprium rationi conforme, labores & pericula, quæ ab hoc bono ipsum auocant, superādo consequitur. Quarta est Temperantia, per quam homo bonum proprium rationi consentaneum, illicitis delectationib. huic contrarijs abstinendo, excellenter consequitur. Iustitia & Fortitudo non modo bonum proprium, sed & commune spectant, & ideo Temperātia excellentiores sunt. Prudētia omniū harum virtutum summa est & dignissima, vtpote ceterarum moderatrix.

8. Quatuor hæ virtutes dicuntur exēplares, in quantū sunt in Deo, qui harum idea est & exemplar. Dicuntur etiam Politicæ, in quantum sunt in homine (qui animal politicum & ciuile est) iuxta proprias rationes: idq; ad iudicandam differentiā, quomodo scil. sint in Deo: quia nō ita sunt

in Deo, quomodo in homine: sed infinita quadam eminentia. Vocantur etiam Purgatoriæ, in quantū humano studio ac diligentia adauctæ & corroboratæ, in causa sunt, vt homo pfectionem diuinam imitari satagat. Vocantur et Virtutes animi purgati, in quantum ad sūmum perfectionis gradum peruenire solent; vti in Beatis, & in illis viatorib. qui ad sūmā perfectionē iam peruenerunt, contingit.

9. Omnes, quas suprà enumerauimus, virtutes morales, sunt acquisitæ. i. tales, q̄ per actus nostros possunt & solent acquiri. Sed p̄ter has, secundum doctrinam S. Thom. 1. 2. q. 63. sunt & totidem virtutes morales infusæ, q̄ iisdem planè dicuntur nominib. Hæ seruiunt gratiæ, in cuius ordine supernaturali virtutes Theologicę finem respiciunt supernaturalem: at morales infusæ respiciunt media in ordine ad hunc finem: sicut in ordine naturali synderesis & naturalis beatitudinis appetitus finem respiciunt beatitudinis naturalis, at virtutes acquisitæ media ad hunc finē dirigentia. Et licet morales infusæ idem obiectum materiale respiciant, q̄ acquisitæ; formale tamen obiectū aliud est. v. g. Temperantia acquisita respicit materiam delectabilem, in quantum hæc regulæ ratio-

nis

nis humanæ, & consequenter regulæ diuinæ, in quantum Deus naturæ auctor est, conformis est. Ideoque hac materia (verbi gratia cibo) vtitur, in quantum ad sanitatem naturalem, & ad benè ratione vtendum conducit & conueniens est: neq; enim benè ea quis vti potest, si corpus male dispositum sit. Sed Temperantia infusa hac ipsa materia vtitur, in quantum ad vitam æternam, quam diuina fides promittit, consequendam conducit: atque ideò hosce actus suos ad regulam quamdam diuinam ipsius Dei (in quantum supernaturalis est auctor) dirigit & componit. Vnde sequitur, Temperantiam infusam materia delectabili nonnullis in casibus vti vel abstinere, in quibus naturalis ratio per Temperantiam acquisitam ea vtendum vel abstinendũ non dictaret. verbi gratia, quando corpus ieiunio ad maioris gratiæ vel glorię acquisitionem castigatur. Quod Religiosi ipsi considerent oportet, vt hoc diuiniori & altiori modo virtutum moralium actus exerceant.

10. Virtutes hæ morales infusæ vnà cũ gratia aut recipiuntur, aut perdũtur; adeò vt quotquot per diuinam gratiam iustificantur, eo ipso momento virtutes morales infusas recipiant: & cùm gratiam amit-

tunt, illas simul virtutes amittant Morales acquisitę sine gratia consistere possunt, & sunt inuicem in statu suo perfecto connexæ & concatenatæ. Has serui Dei assiduè sibi comparare student, maximè in Schola Religionis: etsi enim simul cum gratia virtutes morales infusas habeant, per quas habiles & apti sunt ad actus virtutũ exercendos; hæ tamen non tam perceptibiliter difficultatem materiarum virtuosarum auferunt, atque acquisitæ; quæ per proprios actus & assiduos conatus acquiruntur, cùm passiones subiugando, tùm vitiorum habitus, qui in animæ potẽtiis radicati erant, euellendo, quod infusæ eo modo non faciunt, quo acquisitæ. Ex hac doctrina, quæ è Schola S. Thomæ petita est, sequitur, quando Sancti & Scriptores spirituales de virtutum acquisitione agunt, de moralibus acquisitis eos loqui intelligendos esse: adeò vt Dei seruus, qui vnà cum gratia & charitate omnes virtutes morales infusas habet, in ipsis occasionibus exercendorum actuum virtutũ, circa earumdem virtutum materiam laboret, eò quòd virtutes acquisitas circa hanc ipsam materiam nondum acquisierit Hanc ob rem necesse est tota contentione hominem virtutum acquisitarum stu-

dio intendere: de quarum speciebus in numeris sequentib⁹, antequam de Theologicis loqui incipiam⁹, tractare proposuimus.

11. Cum ergò de virtutib. moralib. acquisitis, quæ ad quatuor ordines pro virtutum Cardinalium numero (inter quas prima est Prudentia) reuocantur, nobis hic tractandum sit, de hac primo loco tractabimus. Vt autē à definitione incipiamus, Prudentia vulgò sic definitur; Est virtus intellectus, qui dicitur practicus, per quem benè homo statuere, imperare, iubere & decernere discat id, ꝙ sibi in omni casu particulari, iuxta rationis præscriptum, faciendum est

12. Prudentiæ officium est media proponere, quibus suos virtutes morales fines adipiscantur, hos autem fines ipsa proponit Synderesis: v. g. Synderesis (quæ est habitus naturalis intellectualis principiorum practicorum, cuius partes sunt approbare bonum, ac reprobare malum; & dicitur conscientia) temperantiæ suum proponit finem, scilicet delectationib. tactus & gustus cum mediocritate quadam, quæ inter defectum & excessum sit media, vti. Prudentia itaque in casibus particularib. dictat media, quib. ad hanc mediocritatem perueniatur, quale, v. g

esset tantum, & toties per diem, & tali hora, &c. comedere. Vnde sequitur, virtutes morales, per Synderesçeos directionẽ, bonũ finem respicere, eumque prudentiæ p̃scribere, eamque media ad bonum hunc finem consequendum intueri & p̃scribere. Atque hanc ob causam dixit Arist. 6. Ethicor. c. 12. & 13. neminem posse esse prudentem, qui non sit vir bonus, id est, virtuosus per virtutes morales. Verum nihil ominus est. veram prudentiam acquisitã, in peccatorib. posse reperiri, v.g. posito aliquem, qui Prudentiam & virtutem moralem iam acquisiuit, postea peccare mortaliter, non propterea is statim perdit virtutes, quas Aristoteles requirit.

13. Partes integrales prudentiæ sunt, bona rerum memoria; particularium rerũ occurrentiũ intelligentia; docilitas, (quia prudentes sunt dociles) solertia, id est, bona & prompta coniectura; ratio, id est, discurrere, & rem vnam benè ex alia deducere; prouidentia, id est, bona mediorum ad finem ordinatio; circumspectio, id est, accurata circumstantiarum circa res particulares occurrentes versantium consideratio; cautela, id est, quædam prouisio, & aduersus contraria, à quibus bona impediri possent consilia, tutamentum. Hæc

Eustochia id est, bona cõiectura annumeratur solertiæ, quæ

vocantur partes integrales, quòd ex iis omnibus prudentiæ componatur integritas, sicut omnia simul membra corpus integrant & constituunt. Opus autem non est, vt his partibus explicandis diutiùs immoremur. multo latiùs patet.

14. Partes subiectiuę & species prudentiæ sunt: Regnatiua, Politica, Oeconomica, Militaris. demùm vniuscuiusque particularis; de quibus quid ampliùs hic dicecere extra propositum est.

15. Partes potentiales prudenriæ sunt tres virtutes: quæ ei subseruiunt, videlicet, Eubulia, *Synesis*, Gnome. Eubulia, id est, benè consiliatiua, eò facit, vt de mediis occurrentibus rectè homo consultet. Synesis, id est, iudicatiua, eò spectat, vt bonũ de conuenientissimo medio iuxta regulas ordinarias iudicium formetur. Gnome, id est, regula, conducit, vt bonum iuxta rationem naturalem, præter regulas communes vel leges ordinarias, quę interdum ob casuum particularium circumstantias deficiunt, iudicium feratur. Tribus hisce virtutibus in specie distinctis vtitur Prudentia, & postquam consultauerit, & bonum de medio, quod eligendum est, iudicium tulerit, imperandi & executionis præcipiendæ actum facit: atque hoc pro-

prius & principalis prudentiæ actus est. S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 9. docet, Sollicitudinem vel Diligentiam etiam ad Prudentiam pertinere: sed intelligendum id est, quantum quidem spectat ad imperandū, & executioni mandanda ea, de quibus antè consilium inierit, & iudicium formarit. Sed ipsa consultatio esse debet matura, executio verò velociter peragenda, vt docet Arist. 6. Ethicor. c. 9.

16 E supradictis reb. sequitur, Prudentiā formaliter in subditis non esse, in quātum sunt subditi; cùm proprius Prudentiæ actus sit imperare, & proprius subditi obedire. His tamen non obstantibus in subditis etiam vera esse Prudentia potest, in quātum sunt homines, & parti appetitiuæ & executiuæ animæ suæ imperare possunt & debent id, quod ratio dictat. Quod boni verique Religiosi nullo non tempore faciunt, dum rationis imperium in passiones & inordinatos hominis inferioris actus exercent. exteriorem verò imperandi ritū, qui proprius Prudentiæ Superiorum actus est, à se amouent. Atque in hac Prudentiæ monasticæ specie, magno suo merito, imprimis solliciti & diligentes sunt.

17 Vt ergo tractatum de Prudentia absoluamus; notandum est, quo illa modo

acquiratur, quo etiam perdatur. Duobus mediis principalib. ea comparatur, scilicet experientia, quæ quid certi est, quia Prudentia virtus est, quæ casus particulares ad notitiam experimentalem spectantes respiciat. Deinde bono exemplo & doctrina seniorum, qui quod iuuenibus in notitia experimentali deest, supplent. Perditur autem cum per obliuionem, quæ notitiæ experimentalis, quæ acquisita iam est, vsum aufert; tum verò per malos affectus, qui rectitudini actus proprij prudentiæ ab appetitu recto & benè affecto dependentis opponuntur. Ex hac doctrina sequitur, iuniores, qui cum humilitate senes auscultant spirituales, veram Prudentiæ viam inuenisse.

18. Secunda virtutum cardinalium est Iustitia, qua virtute quisque proximo reddit quod suum est: hæc autem in voluntate consistit. Diuidi hæc in duas species solet; quarum vna dicitur Iustitia particularis, quæ nimirum erga particulares exercetur; alia legalis; quæ hominem immediatè in ordine ad communitatem vel rempublicam (cuius ipse pars est) dirigit & perficit, & consequenter etiam priuatis qui eius communitatis pars sunt, ordinat. Formalis ratio huius iustitiæ legalis est re- Epicikia vel Æquitas Virtus est iustitiæ

spi-

ſpicere ea, quæ in materia cuiuſcumque virtutis ſunt, quæque à legibus ſtatuuntur, in quantum ea ad bonum commune vtilia ſunt: in quo differt ab obedientia, quæ eadem reſpicit, in quantum à Superioribus præcipiuntur. Diuidi pręterea Iuſtitia ſolet in Commutatiuam, quę rerum cum proximo æqualitatem ſpectat; & Diſtributiuam, quæ meritorum perſonarum, quoad bonorum communium diſtributionem proportionem ſpectat: adeò vt quo quis maioris meriti eſt, eo plus de bonis reipublicæ recipiat. Hæ ſunt ſpecies iuſtitiæ.

19. Sunt deinde multæ virtutes, quę partes potentiales iuſtitiæ dicuntur, quę quandam cum Iuſtitia affinitatem vel cōiunctionem habent, vti potentię cum anima; perfectè tamen rationem vel eſſentiam Iuſtitię non participant, vti nec potentię animę eſſentiam. Affinitas, vel coniunctio, vel ſimilitudo in hoc conſiſtit, quòd dirigantur, vt benè cum proximo quis agat, ſicut ipſa dirigitur iuſtitia; in voluntate quoque verſentur, ſicut verſatur iuſtitia: ad iuſtitię tamen perfectionē non attingunt, vel quod ęqualitatem rerum perfectè non intueantur, vel quòd cum perfecta debiti ratione, ſicut iuſtitia

Legalis directrix, vt ſcilicet ſecundùm vtilitatē communē, & ſecūdum intentionē legis fiat; verba eius in caſibus particularibus non attendendo, ſed boni communis intentum ſequēdo.

non procedant. Sunt hæ præcipuę nouē virtutes morales, ſcilicet Religio erga Deum; Pietas erga parentes; Obſeruantia erga eos, qui virtute excellunt, ad quam refertur obedientia; Veritas, per quam homo cùm in verbis, tum in factis oſtendit, quod reuera eſt; ad hanc virtutem reducitur Fides, vel Fidelitas; Gratia vel Gratitudo, qua beneficio accepto vel gratiæ aguntur, vel ipſum recompenſatur; Vindicatio, vel iuſtitia vindicatiua; per quam iuſta de peccatis vindicta exercetur; Liberalitas, quæ bonum ſpectat aliorum, idque potiſsimum per dona pecuniaria; Magnificentia, quæ bona aliena ſpectat per ingentes ſumptus; Affabilitas deniq; vel Amicitia, quæ varijs obſequijs & officijs hominem alteri gratum reddit.

20. Inter has virtutes Religio, Pietas, Obſeruantia ad perfectam Iuſtitiæ rationem non pertingunt, quod perfectè æquale cuique non reddant. Aliæ quoque huc non pertingunt; quòd actus vel officia illarum erga proximos tam ſtricta debita non ſunt, ſicut propriè dictæ & perfectæ iuſtitiæ actus. Hac de cauſa debitū Iuſtitiæ, Religionis, Pietatis, Obſeruantiæ, vocatur legale; eò quòd ſtrictiſſimū & á lege præſcriptum ſit, & ab hac obli-

no opponitur ea ſeueritati, quæ verba legis ſequitur, quādo in eius rigore manere conuenit.

gatione ciuili nascatur: reliquarum verò virtutum debitum dicitur morale; etsi in casibus particularibus debitum hoc etiam sub peccati reatu obliget.

21. Hisce diuisionibus ac principijs præsuppositis ordinatè de aliquibus potentialibus Iustitiæ partibus, quæ hominibus spiritualibus magis vsui futuræ sũt, agamus, alia non vsque adeò necessaria, vná cum proprijs Iustitiæ speciebus omittentes: quod specierum iustitiæ propriarum exercitium non ita passim vitam spiritualem sectantibus occurrat: quibus proinde communis illa, quam cum alijs habent, notitia sufficit, esse scilicet vnicuique quod suum est reddendum. Veniamus iam ad supradictarum virtutum primam, ipsam scilicet Religionem.

22. Religio, ex communi Theologorum sententia quædam virtus Moralis est, hominem inclinans, vt debitũ Deo, ceu communi rerum omnium Domino ac Creatori cultum & honorem reddat. Virtus hæc omnium aliarum virtutum moralium est excellentissima: nam etsi alioquin Theologalis non sit, (cùm diuinam maiestatem, velut obiectum suum immediatè non respiciat, quod virtutum Theologicarum proprium est) propiùs

tamen quám vlla alia ad earum dignitatem ipsa accedit; cùm Deum ceu finem, cui defert cultum, respiciat: qui cultus obiectum eius est, quod immediatè spectat.

23. Porrò circa honorem, cultum, & reuerentiam illam, quam virtus hæc Deo suo defert, notandum est, aliquid in eo materiale, & aliquid formale reperiri. Materiale dicitur quilibet actus, tam interior quám exterior, vel officium, vel ritus, vel cerimonia, quam ideo adhibemus, vt tum in nobis, tum in alijs talem de Deo æstimationem concipiamus, qualis diuinæ maiestati debetur. Formale est, illa excellentię vel maiestatis diuinę ęstimatio; quæ æstimatio Dei dicitur gloria, notitia scilicet quædam illustris, cum reuerentia coniuncta; quæ virtutis religionis scopus & obiectum est; hæc & alijs donari nominibus solet, quæ tamen omnia Dei cultum significant, puta, Sanctitatis, Theosebiæ, Eusebiæ, Latriæ.

24. Virtutis huius actus in duos distinguuntur ordines; in primum referuntur oẽs omnium aliarum virtutum actus; quia omnes possunt & debent ad Dei æstimationem & gloriam referri, sicut boni Religiosi eos referunt. In secū-

dum referuntur proprij virtutis Religionis actus; qui ad tres reduci possunt classes, secundùm subiectionem quam hæc virtus erga Diuinam maiestatem profitetur, dum per eam homo se & omnia sua Deo subijcit. Ad primam classem refertur spirituale mentis bonum, quod per actus Deuotionis & Orationis Deo subijcitur, qui in hac parte sunt maximè principales; & per actus votorum, quibus homo se diuinæ Maiestati velut Domino suo firmiter subijcit; nec non per actum iuramenti, (quando id necesse erit) quo diuinæ excellentiæ excellentiam homo protestatur; denique per vsum Sacramentorum, quo deum gratiæ, qua mentem nostram illi subijcimus, auctorem esse protestamur. In secunda classe Deo subijcitur bonum externum corporis, quod per exteriores adorandi ritus, genuflexiones, prostrationes, &c. fit. In tertia classe diuinæ Maiestati subijciuntur externa, quæ homo possidet bona; vel immediatè illa Domino offerendo, sicut sacrificium, quod in honorem vel recognitionem eius cedit, vel mediatè, per illius ministros, vti dum decimas ac primitias persoluit. De his virtutis Religionis actibus aliud dicendum non est quam ea, quæ de Deuoti-

one & Oratione dicentur. Hoc dumtaxat obseruent Religiosi, vt, dum solitos status nostri actus faciunt, videlicet vota (vel dum ea primò nuncupantur, vel postea renouantur) & ceremonias adorationum, genuflexionum, prostrationum, cor ad diuinam Maiestatem sustollant, cordiali quodam affectu eam honorare, & glorificare cupiendo. Et hunc in finem omnium virtutum sine vlla exceptione actus referant.

25. Circa Deuotionem (quæ quidam Religionis est actus) notandum est, hāc esse actum voluntatis, in qua etiam ipsa virtus Religionis versatur: qui actus non est aliud, quàm prompta & resoluta quædam voluntas faciendi ea, quæ ad diuinæ maiestatis cultum spectant. Vnde colligere est, veram & substantialem deuotionem in voluntate posse, sine sensibili illa deuotione, quæ in diuini, cultus rebus haberi subinde solet, consistere, imò posse cum magna partis inferioris quoad ea, quæ cultus diuini sunt, obluctatione consistere. Quod nouitij Dei serui inprimis ponderent oportet, qui nullum sibi progressum facere videntur, nullam in parte inferiori deuotionem sentiunt. Sed errant, idque ex ignorantia.

26. Deuotionis, id est, promptæ illius, & expeditæ ad opera ad Dei cultum spectantia facienda, voluntatis causæ sūt multæ; sed duæ præcipuæ, præter diuinā gratiam: scilicet ipsa diuinorum beneficiorum, & propriorum defectuum & inperfectionum memoria. Prima voluntatem exstimulat, altera excitat, & vt ad Dominum confugiat, mouet, cùm videat homo, quàm sibi necesse sit sub diuinæ protectionis vmbra & tutamine versari. Et sanè negat Caietanus 2. 2. q. 82. art. 3. eum Religiosi vel spiritualis nomine indignum esse, qui non quotidie saltem semel supra dicta in mentem reuocat.

27. Principalis Deuotionis effectus quædam esse solet spiritualis lætitia, è diuinæ bonitatis consideratione nasci solita: quāquam hinc etiam ingens oriri mœstitia soleat, quòd anima bono illo infinito, quod desiderat, nondum potitur.

28. Circa Orationem, qui virtutis Religionis quidam actus est, notandum venit, ipsam essentialiter intellectus practici actum esse, & alium quemdam voluntatis actum coniunctum habere, per quem nimirum orans desideret, quæ orat, á Domino sibi conferri & concedi. Oratio quidem propriè significat petitionem, tamen

omnib.

omnib. illis orationis partibus, quæ in libris ſpiritualibus traduntur, accommodatur; quæ omnes in petitionem deſinunt. Et licet actus hic in intellectu verſetur, & Religio in voluntate; tamen, vt hic actus virtutis huius actus ſit, ſufficit hunc actum ab intellectu per id motiuum produci, quo cum voluntas ad illum producendum impellit, ipſa ſcilicet quę de diuina Maieſtate concipitur æſtimatione; ad quam homo, inopem & indigentem ſe eſſe perſpiciens, & à Deo ſibi auxilium aduenire debere ſciens, recurrit.

39. Conditiones ad orationis efficaciā requiſitæ, ſunt quatuor, prout eas communiter ſancti tradunt. Prima, vt quis quid ſibi petat; ſecunda; vt piè petat, id eſt; ita, vt petitio cum fide, ſpe, & bono deſiderio inſtituatur; tertia, vt petantur ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt; quarta vt petantur cum perſeuerantia. E quatuor harum conditionum conſideratione quędam pro bonis Religioſis, & maximè iis, qui noſtri ſunt inſtituti (quorum vnicum ſtudium eſt continuò orationi, cum quatuor hiſce conditionibus ad mortem vſq; incumbere) naſcitur conſolatio. Conſolationis huius ratio eſt, quòd vulgò Theologi aſſerant, orationem infallibiliter ſem-

per exaudiri, quando supradictæ conditiones in ea concurrunt.

30. Sequitur post virtutem Religionem virtus Pietatis, per quam debitum honoris & subsidij, &c. parentib. & patriæ; & consequenter iis, qui parentibus nostris ratione consaguinitatis, & patriæ per beneuolentiam & amicitiam coniuncti sunt, reddimus.

31. Nomen hoc Pietas omnem primò significare solet virtutem, per quam & Deo cultus defertur, & vita nostra rectè ordinatur. Ita vocantur virtuosi Pij, & Peccatores Impij. Secundò, in particulari significat virtutem religionis, de qua iam egimus. Tertiò, Misericordiam: atque hinc misericordes dicuntur Pij. Quartò particularē illam & propriam significat virtutem, quæ dicitur Pietas, quam numero præcedenti descripsimus.

32. Circa hanc virtutem, quantum ad Religiosos pertinet, aliud dicendum non est, quàm vt per officia spiritualia suis parentibus & patriæ opitulentur, cùm in illo statu non versentur, in quo aliis ipsos modis queant iuuare. Caueant autem, ne quē vlli cogitationi & affectui inordinato erga parentes & patriam, &c. locum dent, quin potius eorum obliuisci discant modo,

quem Sancti cum exemplo, tum doctrina docuerunt.

33. Sequitur virtus Obseruantiæ, qua honoramus eos, qui in aliqua dignitate, qua vel nos regunt, vel regere apti sunt. sunt constituti, nec nō eos, qui virtute prę-stantes sunt. Auctores nonnulli varias virtutum in Obseruantia pro dignitatū, quibus debitum honorem deferunt, differentiis distinguunt species: sed hisce virtutib. proprium nomen non est impositum. Circa hanc verò virtutem videant Religiosi, vt eos, qui dignitate vel virtute excellunt, quam diligentissimè colant & venerentur: quod hominū spiritualium proprium est, quod qui faciunt, proximum non parum ædificant, vti tum exemplis, tum historiis sanctorum constat.

34. Virtus Dulia vocata, quædam Obseruantiæ species est, & ipsa est, qua debitus honor superiori ratione dominij redditur; & est hæc seruorum propria erga Dominos, & heros. Est deinde & alia Obseruantiæ species vocata Dulia, qua honoramus Sanctos; est & alia vocata Hyperdulia, qua Beatissimam Virginem, propter singularem coniunctionis cum Verbo diuino incarnato excellentiam, honoramus. Circa duas hasce species notet Religiosus, esse

se perfectissimum & fidelissimum Sanctorum, & præsertim Reginæ Sanctorum, honoratorem debere, per interiores videlicet æstimationis sanctitatis illorum actus, & verba laudem illorum testãtia, aliosq; ad eos honorandos destinatos ritus, maximè per verã virtutum ipsorum imitationem.

35. Sequitur iã virtus Obedientiæ, qua quæ superiores iniunxerunt, exequi homo proponit & satagit: cuius laudes nullis cõgruis queunt verbis exponi. Huius materia sunt omnes virtutum actus, quocumq; modo à superioribus iniuncti. Forma, est illa ratio, vt fiant illi actus, quia præcepti & iussi sunt. Quod Religiosi notent oportet, vt veri & formales Obedientię sint observatores, non alias ad obediendum rationes conquirendo, quàm quia iussa à superioribus iniuncta sunt; eos etiam magna cũ reuerentia & amore, non secùs ac Christum Dominum nostrum, intuendo, idq; cum simplicitate, fidelitate, & magna mãdatorum exequendorum promptitudine, nullatenus mandatum examinando; sed magna id fide exequendo.

36. Sequitur Gratitudo, qua beneficiũ acceptum & agnoscitur & compensatur. Gratia & Gratitudo eadem omnino virtus

est.

est. Cuius Religiosi nostri magni cultores sint oportet, cùm multis de causis, tum verò maximè, quo B. Matrem nostram Teresam hoc pacto imitentur, quæ magna & rara illius obseruatrix fuit; adeò quidem, vt erga eos, à quibus aliquod subsidiũ accipiebat; & erga Religiosos, qui ipsi in ordinariis Religionis rebus auxiliabantur, nõ aliter se in gratificando gereret, quàm pecunia emptum mancipium. Præcipuè autẽ curent, vt recepta à Deo beneficia agnoscant, ei gratias propter eadẽ agant, & magno affectu & perseuerantia, velut in reciprocam correspondentiam seruiant.

37. Porro circa quatuor hasce virtutes vltimas notandum, sublimiori quodam & diuiniori erga diuinam maiestatem eas esse modo, quàm erga creaturas, exercendas. Pietas quidem erga illum vt Patrem nostrum amantissimum, à quo & Esse & omnigena bona accepimus: Obseruantia, velut erga Dominum nostrum excellentissimum: Obedientia, sicut erga superiorem omnium supremum: Gratitudo, tanquam erga summum benefactorem nostrum. Obedientia porrò, quando diuina respicit mandata, vocatur obedientia; dum autem diuinam voluntatem, vt ei se homo omni in euentu conformet, vocatur Resi-

gnatio, atque hæc sublimior & perfectior quædam dici obedientia potest.

38. Sequitur tertia Cardinalium virtus, dicta fortitudo, quæ in appetitu versatur irascibili, qua ita se animus in rebus asperis ac terribilibus gerit, vt nec per inordinatum quem illæ incutiunt timorem, nec per inordinatam audaciam in aliquo rectę rationis præscriptũ excedat. Adeò vt, prout ratio dictarit, modò se in his rebus subtrahendo, modò in apertum prodeundo, semper cum virtute operetur. Virtus hæc, vti dictum est, in appetitu versatur sensitiuo, & in parte irascibili; & passiones spei, audaciæ & timoris regit. Ordinariæ eius partes sunt alias virtutes defendere, propter quas animus aduersus difficultates insurgentes corroboratur. Virtutis huius materia sunt omnia aspera & terribilia, quę, vt virtutum officia & actus exerceantur, superanda sunt; sed propriissima & principalis eius materia ipsa mors est, quæ omnium terribilium & vltimum & terribilissimum haberi solet.

39. Inter reliquos virtutis huius actus ipsum martyrium est, ad quod se boni Religiosi disponere debent, difficultates & vanos carnalesque timores, quò virtutum actus exerceantur, superãdo, & piã quam-

dam ad res arduas & terribiles ex amore Dei faciendas audaciam exercendo. Hi ſunt, qui verè eos ad miſſiones, in quibus pro Chriſti fide patiendi plurimæ occaſiones occurrunt, præparant.

40. Fortitudo nullas ſpecie diſtinctas ſub ſe virtutes complectitur;ſed multas ſibi annexas habet,quę partes vocantur potentiales.Sunt autem hæ:Fiducia,Magnanimitas, Securitas animi , Magnificentia, Patientia , Longanimitas , Perſeuerantia, Conſtantia.Vocantur hę fortitudinis partes,ob eam quam cum ipſa habent ſimilitudinem & coniunctionem , etſi alioquin ad eius excellentiam non perueniant.

41. Fiducia virtus eſt,quæ animum perficit, vt is magnam quamdam promptitudinem in arduis rebus , citra mortis periculum tamen, ſuſcipiendis præferat. Magnanimitas circa res magnas animũ perficit, præſertim in materia honoris , quem aut procurat, aut contemnit, prout ratio dictarit. Securitas animum quietat, & aduerſus moleſtias & curas anxias, quæ è timore naſcuntur, corroborat. Magnificentia animum ad ſumptus magnos, prout eos ratio conformes iudicarit , præſtandos diſponit; fortitudinemq́ue in eo imitatur, quòd illam , quæ in magnificis impenſis

faciendis latet, arduitatem difficultatemq; superet. Patientia animum aduersus mœstitiam confortat & confirmat, ne hac ipse passione oppressus, operari cesset, prout operandum ratio suaserit. Longanimitas animum perficit, vt ad futura, quæ diu differuntur, sine afflictione vlla & deiectione speranda sese extendat. Perseuerantia facit, vt animus, non obstante temporis diuturnitate, in virtutis alicuius studio exercitione firmus perseueret, donec aut eam assequatur, aut opus aliquod bonum cœptum ad exitum perducat. Virtus hæc diuersum quid est à magno illo & supernaturali perseuerantiæ dono, quod quædam diuinæ gratiæ est conseruatio, & operum bonorum ad vsque vitæ finem continuatio. Constantia animo dat, vt in bono aduersus difficultates vel impedimenta occurrentia constanter infracteque persistat, adeo vt Perseuerantia cum temporis diuturnitate, Constantia cum ingruentibus durante illo tempore impedimentis decertet.

Euphychia eadem est cũ Constantia

42. Sunt etiam quædam partes integrales fortitudinis; multæ inquam perfectiones, quas veræ fortitudinis opus vel actus habere debet; quæ perfectiones per ea ipsa virtutum numero superiori produ-

cta-

ctarum nomina exprimi & denotari queunt, adeò vt actus fortitudinis ita compositus & perfectus sit oporteat, vt is & fiducialiter, & magnanimiter, & securè, & magnificè, & patienter, & longanimiter, & perseueranter, & constanter peragatur. In hasce Religiosi nostri partes singulari quadam contentione necesse est incumbant, quò difficilia & ardua opera, quasi sui ipsorum & totius mundi domini & superiores suscipiant; idque ad Beatæ Matris nostræ Teresæ, quæ generosissima quadam ad res arduas & terrorem inferre natas aggrediendas prædita erat fortitudine, imitationem.

43. Sequitur quarta Cardinalis virtus Temperantia, quæ in appetitu concupiscibili sita est, & eiusdem appetitus passiones (quæ circa ea, quæ corpori ex sensu tactus delectabilia sunt, in ipso cibi, potus, & actuum venereorū vsu occupantur) regere vel moderari satagit: Nota nullā propriè virtutem circa delectabilia aliorū sensuum obiecta assignari; quòd reliquorum sensuum actus bonitatis vel malitiæ moralis rationem non habeant; nisi tantùm accidentaliter, in quantum ad aliquod obiectum sensus tactus, vel ad aliquarū passionum obiecta referuntur.

44. Tem-

44. Temperantia alias habet partes integrales, alias ſubiectiuas, alias verò potentiales. Integrales (illæ inquam, quæ certæ quædam perfectiones ſunt, in virtutis huius actibus relucẽtes) ſunt duæ, Honeſtas & Verecundia. Honeſtas quædam eſt perfectio, quæ in illa decentia vel decoro, quo operi Temperantiæ debetur cõſiſtit, inde oriens; quòd in opere illo quidam turpitudinis; quæ honeſtati contraria ſit, perſpicitur horror. Verecundia quidam eſt timor in rebus turpibus committendis. Duæ hæ perfectiones Religioſos noſtros quàm maximè decent & propriæ ſunt vtpotè Beatiſſimę Virginis Mariæ, quę omnis honeſtatis exemplar eſt, filios; atq; idcirco quidquid impurum eſt, maximopere deteſtari debent.

45. Partes ſubiectiuæ, vel potiùs ſpecies Temperantiæ, ſunt quatuor, ſcilicet, Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas (quæ & aliò nomine pudicitia dicitur) Virginitas. Abſtinentia cibi; Sobrietas potus vſum, ex rationis præſcripto, temperat. Bonus eorum vſus in quadam ſitus eſt mediocritate, perſonæ, operibus, & laboribus corporis proportionata & conueniente. Multis de cauſis, ac præſertim ob continuum orationis exercitium (quod cum cibi ex-

cessu ; ac potus intemperantia consistere nequit. Religiosi nostri harum duarũ virtutum studiosissimi spectatores esse debẽt, vt cultores diligentissimi. Castitas, pulcherrima quædam virtus est, inordinati voluptatis venereæ vsus moderatrix. Virginitas denique perfecta quædam est Castitas, quæ facit, vt homo, firmo quodam proposito, ab omni actu venereo, etiam qui licitus est (qualis est coniugalis) abstineat, & perfectam integritatem & puritatem corporis, quæ per corruptiones voluntarias, non autẽ violentas deperditur, cõseruet. Aliud autẽ de virtutibus hisce Angelicis dicendũ hic non est, quam esse has Religiosis quám maximè proprias, atque ad virtutem religionis, vel latriæ pertinere, in quantum se per votum solenne, tanquam præstans quoddam sacrificium Domino cõsecrant. Neque verò dubitandum, quin Religiosi, qui peculiares Beatæ Virginis sunt filij, singulari quodam modo, ratione tam eximiæ filiationis, puritatem corporis colere debeant. Aduerte porrò, castitatem pudicitiæ nomine dici, in quantum externa impuritatis signa & argumenta (verbi gratia, oscula, tactus, &c.) prohibet.

46. Potentiales Temperantię partes

ſunt, virtutes quædam ei affines, vel ſimiles, in inordinatis appetitibus circa res aliquas delectabiles, tametſi non adeo vehementes (verbi gratia circa delectabilia tactus obiecta) verſantibus refrenandis ſitæ. Virtutes hæ ſunt octo: videlicet continentia, manſuetudo, clementia, modeſtia, humilitas, ſtudioſitas, eutrapelia, parcitas, vel ſimplicitas, vel moderatio.

47. Continentia virtus eſt, quæ inordinatos voluntatis motus (quos paſſionū appetitus ſenſitiui, á quo voluntas ad ea, quæ rationi contraria ſunt, mouetur, impulſus cauſatur) refrenat. Perfecta autem hæc virtus non eſt, quia non efficit vt paſſionum impulſus omninò tranquilentur; ſed tantum ne ab illarum impetu voluntas ſuperetur. Etſi verò continentiæ nomine vti ſoleamus ad caſtitatem, vel virginitatem ſignificandam, vnde ipſos caſtos vocamus continentes, in hoc tamen ſenſu illam hoc numero non accipimus.

48. Manſuetudo virtus eſt, in parte iraſcibili ſita, & à qua ira temperatur; Hæc diſcipulorum Chriſti imprimis propria eſt, qui, dum iniurijs afficiuntur, inſtar agnorum manſuetè ſe gerere debent.

49. Clementia virtus eſt, quæ medi-

ocritatem in puniendis, castigandisue culpis seruandam præscribit, Hæc rectorum & superiorum propria est; ad eius autem effectum permultum ipsa confert mansuetudo: virtus namque, quæ iram internam temperat, consequenter etiam iuuat & conducit, vt castigationem exteriorem homo moderetur. Vnde fit, vt harum duarum virtutum nomina indifferenter & promiscuè vsurpentur vulgo. Ad duas has virtutes acquirendas vsui & auxilio, erunt illa iræ curandæ remedia, quæ in Tractatu de passionibus producta sunt.

50. Modestia virtus est, quæ actuum nostrorum, ac præsertim exteriorũ, moderationem spectat & præscribit. Virtus hæc tres habet partes. Bonam scilicet in actibus externis ordinationem, vt nimirum hi fiant, vel non fiant, & eo ordine fiant, quo par est: deinde ornatum, vt scilicet hi ipsi actus decenter fiant: demũ austeritatem, vt scilicet curet homo, vt quandam sua cum amicis alijsq; hominibus colloquia maturitatem ipsis personis, ac rebus consentaneam præferant. Virtus hæc domus Dei decorum est, quod in Religiosis benè moratis compositisque maximè cernitur, ac præsertim in oculorum

moderatione (quę dicitur vulgò Modestia) vel linguæ, quam vocant silentium. Atq; hæ duæ modestiæ partes sunt, quas infinitis Sancti omnes laudibus extulerūt.

51. Humilitas virtus est, quæ in irascibili parte consistens, spei & audaciæ passiones ita regit, ac moderatur, vt quis plus sibi, quám sibi reipsa conueniat pro dignitate personæ suę, asscribi nolit. Duodecim humilitatis gradus, aut potius signa enumerari solent. Primum est, semper cū corde, tum oculis in terrā deiectis humilitatem præferre. Secundum, pauca loqui, eaq; rationi consentanea, & sine vllis clamoribus. Tertium, non esse in ridendo facilem ac leuem. Quartum, tacere, donec ab alio interrogeris. Quintum, regulam, vel communem monasterij obseruantiam sequi. Sextum, omnium se vilissimum credere. Septimum, indignum se & invtilem ad quæcunque, si proprie vires inspiciantur, reputare. Octauum, proprias culpas confiteri. Nonum, patienter & promptè in rebus arduis ac difficilibus obedire. Decimū, Superioribus se subiicere. Vndecimū, propriam non libenter voluntatem facere. Duodecimum, Deum timere, eiusq; mandatorum recordari. Hi humilitatis gradus non sunt proprij gradus, intra ipsam virtu-

tis huius essentiam consistentes, sed eiusdem tantùm signa vel effectus, quos in regulam suam sanctus Benedictus retulit. Virtutis huius laudes innumerabiles sunt, & accuratū eiusdem studium scholę Christi quám maximè proprium est.

52. Studiositas virtus est, sciendi desiderium moderans, quæ scilicet efficiat, vt aliud hómo scire nolit, quàm quod sibi conueniat, & eo modo, quo conueniat scire. Virtus hæc Religiosis vitæ contemplatiuæ deditis vtilissima est, cuique curiositas quàm maximè nocet.

53. Eutrapelia virtus est, quæ debitum ac conuenientem in ludis & honestis recreationibus, quæ ad decentem animi relaxationem adhibentur, modum & moderationem seruat. Circa hanc virtutem notandum est, multos Dei seruos hac iis in rebus vti, quæ aliis ignorantibus, & parum illuminatis non videntur actus virtutum esse.

54. Parcitas, vel simplicitas, vel moderatio virtus est, qua rebus exterioribus corporis, puta vestibus, ornatu, &c. homo moderatè vtitur. Vocatur autem Parcitas, in quantum superflua fugit; simplicitas, vel moderatio, in quantum his in rebus exquisita & eminentia nullá quærit.

55. Sequuntur iam virtutes Theologales, fides, spes, charitas, quæ cæteris omnibus excellentiores sunt & digniores. Fides virtus est, qua intellectus, in quo hæc est, ita firmiter, etsi inevidenter, assentitur omnibus, quæ illi Ecclesia proponit, ac si sibi à Deo revelata essent. Magnā virtus hæc in bonorum Religiosorum animis facere impressionem debet, ad terrena omnia despicienda, idque per ipsam æternorum, quæ per fidem nobis revelata sūt, æstimationem. Ipsa quippè mysteriorum sacrorum lectio, prophetiarum & veritatū, quas prædictas esse videmus, consonantia, Martyrum fortitudo, Doctorum concordia, miracula, multaq; alia id genus puncta, si quando attenta consideratione recoluntur, ingentem animo consolationē adferunt, eumque ad fidei confessionem faciendam maximoperè corroborant. Vnde etiam consultum, & vtile imprimis est, prædictorum punctorum meditationi Religiosos sedulò incumbere. Hanc boni Religiosi virtutem exercere debent, diuinæ auctoritati se magna constantia, reuerentia, humilitate, quando ordinarios fidei actus exercent, submittere procurātes.

56. Spes virtus est, qua voluntas erga Deum, in quantum ipse nostra beatitudo-

mouetur, quæ quidem beatitudo ad consequendum sit difficilis, ita tamen difficilis, vt per diuinum auxilium, & per media à Deo ipso ad eam consequendam instituta difficultas hæc expugnari & superari valeat. Virtus hæc magni fieri, & imprimis exerceri debet, maximè vt qui in mortis articulo, & aliis periculis grauioribus, in hac vita occurrentibus, præparati inueniamur, in illis namque necessitatibus animā optimè in spe fundatam esse oportet, si perire nolit. Exercetur autem, si fortissimos eius actus faciamus, & diuinæ misericordiæ, ac meritis Domini nostri Iesu Christi innitendo certam quandam fiduciam cōcipiamus, gratiam nobis ab ipso, ad bona opera, vitæ æternæ meritoria, facienda datum iri.

57. Charitas virtus est, qua summum bonum, quod beatitudinis nostræ, supernaturalis obiectum est, voluntas diligit. Hæc virtutum omnium regina est, atque earum ita forma appellatur, sicut lux forma dicitur colorum, qui vt sine luce quodammodo mortui sunt, ita sine charitate reliquæ virtutes. Nobilissima autem hæc virtus eximios habet effectus, videlicet gaudium spirituale, pacem. misericordiā. quæ etiam distincta virtus est, & eius actus

per charitatis motionem imperiumque producitur. Misericordiæ obiectum aliena miseria est, in quantum ea iuuabilis est, & leuari per effectum (id est auxilium ipsius misericordiæ) potest. Beneficentia etiam inter charitatis effectus numeratur, quæ aliud non est, quàm exterior quædã actus interni charitatis erga proximum reipsa executio. Similiter & fraterna correctio, & Eleemosyna inter eius effectus recensetur. Magnæ huius virtutis actus sunt duo. Amor videlicet erga Deum, & erga proximum propter Deum.

58. Circa excellentissimam hanc virtutem, quo ad eius praxin notent homines spirituales, non mediocrem & noxium inprimis se commissuros errorem, si ea nõ benè vterentur. Tum verò benè ea vtentur, si sæpè suum versus Dei bonitatem & amabilitatem cor sustollant, cum propter id, quod in se est, magnificando, & amando, & omnes alios reliquarum virtutum actus ad hunc ipsum finem dirigendo, vt hi per charitatis ipsius directionem sint actus formati, & maioris gratiæ ac gloriæ meritorij.

TRACTATVS

DE TRIBVS STATIBVS AVT *Gradibus, videlicet, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.*

DVBIum I. An bona & sufficiens sit illa statuum diuisio, quæ dari communiter solet, in incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum? Respondeo, quòd sic, quia ipsi Sancti hanc statuum,& graduum diuisionem communiter assignarunt, iuxta triplicem charitatis, cuius adminiculo ad vitam æternam tenditur, gradum. Atque hæc diuisio pro varietate fit studiorum & exercitiorum, in quibus homo, qui diuinam charitatem habet, occupatur. Primum studium, vel exercitium conuenit incipientibus, qui nimirum iã ad Dominũ conuersi.& eum iam per charitatis in iustificatione infusæ virtutem amare incipientes, maximè dant operam, vt à peccatis sese subducant. & concupiscentiis suis violentis aduersus charitatem Dei militantibus resistant Secundum studium & exercitium proficien- S. Tho. qu. 24. a. 9.

tium est, qui hoc potissimum intendunt, vt in charitate, & consequenter in aliis virtutibus, aliquem progressum semper faciant, cùm à vitiis & concupiscientiis non adeo oppugnentur vt incipientes. Atque ideo, ad virtutes conquirendas, & charitatem, quam in statu incipientium habebant, adaugendam longè sunt expeditiores. Tertium studium vel exercitium in perfectos cadit, qui hoc præcipuè curant, vt Deo se vniant, eoque fruantur; cùm per vitiorum expugnationem & virtutum comparationem, sublimem quemdam pacis & amoris gradum sibi iám adepti sint, qui ad diuinam vnionem ac fruitionem nunquam non aspirat.

Dubium II. Num tribus hisce charitatis gradibus respondeant tres illæ viæ, vulgò dictæ Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua? Respondeo quod sic. Purgatiua namque incipientium est, quorũ præcipuum studium est, sese à prauorum habituum, & inordinatorum appetituum vitæ superioris fæcibus purgare & emundare. Illuminatiua proficientium est, quorũ studium omne in veris animæ luminibus (quæ sunt nimirum virtutes cum maiori Dei cognitione coniunctæ) conquirendis consistit. Vnitiua perfectorum est, qui Domino va-

care, & arctissimè illi se coniungere semper, quà possunt, conantur.

Dubium III. Num supradictis illis tribus gradibus distincta respondeāt exercitia, principali vniuscuiusque illorū studio proportionata? Respondeo, affirmando: quia incipientium gradui ea conueniunt exercitia, quæ apta sunt animam purgare, vti sunt exercitia pænitentiæ, & orationis circa quatuor nouissima, & damna, quæ sibi peccatum attulit versantis, vt hoc se pacto in Dei timore magis solident. Proficientium gradui conueniunt exercitia ad illuminandum, idonea, vti sunt meditationes de vita & passione Christi Redemptoris, nec non vsus mediorum, quibus virtutes cum ipsomet Christo, exemplari nostro nos configurantes comparantur. Gradui perfectorum exercitia conueniunt contemplandi, & diuinam maiestatem amandi, nec non vsus orationū iaculatoriarum, aut ascensionum cordis, quæ omnia animam Deo vniunt. Nota, quando proficiens vel perfectus aliquis in peccatum mortale labitur (quod fieri potest, sicut exempla sacræ scripturæ nos docent) non eum propterea exercitiorum suorum methodum, & cursum mutare debere, ad ea, quæ incipientiū sunt, rede-

undo, sed aliquot peccato suo plangendo dies eum impendere, & pænitentiam, prout spirituali eius directori videbitur, agere, ac rursus ordinarium suum cursum resumere debere: cum qui sic labitur, vt plurimum postea maiori, quám antè habebat, feruore resurgat. Imò quamuis lapsus sit, non propterea virtutum comparatarum habitus perdidit, nec propter vnũ aut aliquot actus peccandi talem habitũ rursus contraxit, vt propterea ad vitam purgatiuam eum denuò redire necesse sit. Quod exempla SS. Petri & Thomæ Apostolorũ, & multorum aliorum confirmant, qui quamuis cursum suum peccando aliquantisper interrumpant, non propterea in proficientium, vel perfectorum via vlterius pergere desinunt; vt taceam ipsis Dei electis tales lapsus vt plurimum occasionem esse, vt postea solidè se in proficientium, vel perfectorum statu confirmẽt. Quod inprimis notandum est.

Dubium IV. Num tres illæ viæ verè tantùm vna sint, vel tres? Respondeo, eas vel tres vias, vel vnam in tres partes distinctam vocari posse. Sicut si, verbi gratia, via, quæ è Tusculo Romam ducit, ita disposita foret, vt in principio eius multi occurrerent latrones, cum quibus

viatori pugnandum esset : & in secunda eius parte non tam multi essent , sed è cōtra magna auri copia , & multi illustres honores repositi essent viriliter in cæpta via pergenti , cui etiam minus impetito multa horum colligere liceret : in tertia denique Romæ proxima elegantissimi occurrerēt horti & fontes , in quibus viator requiescere , & suauissimo , iucundissimoq; Sanctissimi Domini sui Pontificis colloquio gaudere posset. Harum viæ partium prima gradui respōdet incipientium & viæ purgatiuæ : secunda statui proficientium , & viæ illuminatiuæ : tertia statui perfectorum, & viæ vnitiuæ : Denique ciuitas sancta felicissimo gloriæ statui ex æquo respondet.

Dubium V. Quomodo vna via spiritualis tam differentia habere potest exercitia, vt quoad hanc partem viæ materiali dissimilis esse videatur? Respondeo, id optimè simul posse consistere: quod clarissimè è Sanctorum doctrina colligitur ; dū hanc trium graduum differentiam in vna eademq; charitate assignant , quæ tamen vna in specie virtus est. Adeò vt vna eademque virtus alio, quando incipit , exerceatur modo , dum verò crescit , alio , alio deniq; , dum magna & perfecta est: quem-

admodum vnus & idem homo alio in infantia vel pueritia se gerit modo; alio in iuuentute, alio etiam in ætate virili, & esto magna sit horũ inter se graduũ differentia, vnus tamẽ & idem est homo. Sunt itaque in incipiente, proficiente, perfecto vnæ eædemque in specie virtutes, charitas; patientia, humilitas, &c. etsi maxima in illis sit graduum differentia.

Dubium VI. Cur intribus statibus supra assignatis secundi illi solùm proficientes dicantur; cùm etiam incipientes verè realiterque in charitate progressum faciant, &, cur similiter ipsi perfecti proficientium nomine non dicantur cũ multò maiorem reuera hi progressum faciant, quám qui propriè proficientes dicuntur, cùm in hac vita certus aliquis caritatis terminus viatoribus non sit præfixus, sed semper vlterius progredi possint, & qui plus alijs amat, vti, perfecti faciunt, maiorem etiam profectum faciat? Respondeo, ita quidem reuera se rem habere, vti dubium proposuit, scilicet ipsos etiam incipientes pogressum facere, & perfectos maximum: ipsos tamen Sanctos ijs hæc nomina studijs & exercitijs, quæ vnusquisque pro gradu charitatis, in quo reperitur, facit, adaptasse, vti antea dicere me-

mini.

mini. Iuxta hanc doctrinam dicendum, sicut & incipientes & proficientes, quin ipsi etiam perfecti pogressum faciunt (licet proficere sit proprium proficientium studium) ita etiam hos omnes ab aliquo se imperfectionum puluere purgare; etsi alioquin purgatio sit incipientiū propria. Pari quoque ratione dicendum est, non perfectos tantum, sed & ipsos proficientes & incipientes studere sese aliquo modo cum Deo vnire, etsi vniò solorum sit perfectorum. Rei huius ratio est, quia omnes hi Dominum super omnia diligunt, cùm eius in se charitatem habeant, vnde hæc eos inclinat, vt sese illi vniant: & quia etiam omnes (ipsi etiam perfecti) aliquid ex huius vitæ rebus (tametsi minimum) habent, cui per affectum adhæreſcant, & á quo se expurgare & emundare satagunt, etsi propterea perfectæ charitatis homines esse non desinant.

Dubium VII. Num interdum proficientibus incipientibus aliqua sint perfectorum permittenda exercitia? Respōdeo permitti posse, sed ad breue tempus tantū, puta in festis Natalitijs, & in Pentecostes, quæ tota vni amori (qui proprium perfectorum exercitium est) destinata vidētur. His in occasionibus sua incipientes exer-

citia aliquantiſper etiam ſeponere, vniquè diuino amori intendere par eſt, communi Eccleſiæ ſenſui, quæ illis temporibus diuini amoris incendio tota & penitus flagrare videtur, ſe accommodando. Ipſi è contra perfecti non rarò ad incipientiũ deſcendere exercitia per auſteras pænitentias intimum de peccatis dolorem, & vberes lacrymas ſolent, perinde acſi ſua hactenus peccata nõ planxiſſent. Porrò magiſtri profectum, quem faciunt diſcipuli, diligenter notent, quò exercitia proportionata illis præſcribant, ne aut nimis diu eos in via purgatiua detineant, aut vice verſa nimis accelerent, quò ad illuminatiuam eos perducant. Notandum quatuor, aut ſex viæ purgatiuæ colendæ vt plurimũ menſes ab aliquibus præſcribi. Sed regula hæc incerta eſt, etſi in Ordine noſtro ſimilibus regulis vti conſultum ſit, cum purgatiuæ & illuminatiuæ exercitia ſimul dẽtur: vtile autem fuerit, aliquot iam à principio vocationis menſibus tranſactis ipſa illuminatiuæ exercitia liberius præſcribere. Illuminatiuæ etiam certum aliquod tempus præſcribere penitus impertinens eſt, quia res incerta eſt, ſed hoc tantũ dico, in virtutibus, & luce, & cognitione Dei progreſſum ſemper faciendum. Vniti-

uæ denique certum tempus præfigi non debet, cùm quoddam hæc æternæ vnionis ſit initium. Sed cùm manifeſtè iam appa-ret, Religioſum aliquem multum ſibi vir-tutum continua longaq; paſſionũ morti-ficatione collegiſſe,& magnamDei ſibi lu-cem , & præclarum erga diuina affectum comparaſſe,non inutile fuerit, plenam illi poteſtatem facere , vt in vnitiua ſeſe exer-ceat , modò interim non obliuiſcatur & negligat in duabus pręcedentibus viis ſeſe perficere.

Dubium VIII. Num incipiens aliquis altiorē intenſioremq; habere charitatem poſſit, quám proficiens? Reſpondeo, poſ-ſe, vti docet S. Thomas in 3. par. quęſt. 89. art. 2. ad 3. Adeo vt, quamuis hæc gratia & charitas in vno eodemq; homine maior ſit, dum eſt incipiens, quàm dum profici-ens, nihilominus in nonnullis hominibus longè ſecus fiat: adeo vt nonnulli à longè intenſiore incipiant charitate, quàm habe-ant alij, quando iam ſunt proficientes. Quod imprimis quoad vitam monaſticam notandum eſt: Multi enim in pueritia ha-bitum & veſtem religioſam aſſumunt, nõ-dum grauibus vllis peccatis perpetratis & hi lentè progredi ſolent, vt qui ſe magnis debitis grauatos non ſentiunt: atq; idcirco

modicum & mediocrem profectum faciunt. Cùm verò graues peccatores, & viri prouectioris ætatis monasticę se addicunt, quòd se scelerũ plagis vulneratos sentiant, maiori nisu & contentione remedium iis quærunt. Atq; ideo in principio hi magis & ardentius Deum amare solent, quàm illi priores post multos exercitiorum monasticorum annos, & nihilominus hi incipientium, & primi proficientium exercitia frequentant: quia hi, tametsi maiorem habeant charitatem, non ideo tamen, superioris vitæ vitiorum habitus, & passiones insolentes, viuasque habere desinunt, quarum occasione viæ purgatiuæ eos diligentissimè necesse est incumbere & intẽdere.

Dubium IX. Num immediatè quis à statu peccati ad tertium gradum, & viam vnitiuam transire possit? Respondeo posse, vti docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 1. docens. Apostolum Paulum iam inde à iustificationis suæ initio ad perfectã quamdam iustitiam à Deo promotũ fuisse. Quod etiam in aliis nonnullis deinde Deũ fecisse verosimile sit. Sed id miraculosum est, & à communi, ordinarioq; in via spirituali procedendi modo deuians. Notandum nihilominus, hosce priuilegiatos, quamuis sint perfecti, ipsa viæ purgatiuæ

& illuminatiuæ exercitia modo quodam excellentiori, quàm sit ordinarius, facere; vti exemplo esse potest Apostolus Paulus, qui castigabat corpus suum, & virtutum acquisitioni & augmento modo quodam Apostolico attendebat.

Dubium X. Num in tribus his charitatis gradibus diuersæ sint desolationes & tentationes? Respondeo, diuersas esse, pro studiorum diuersitate, adeò vt incipientes circa illarum rerum, in quibus peccarunt, materias grauiter tententur & affligantur, & vehementes quosdã erga res sæculi impulsus sentiant, quos mali, quos habent habitus, cum passionum vehementia, tum nouæ vitæ quam iniere, difficultas causare solent. Proficientes verò à tepore, languore, curiositate zelo indiscreto, aliisque similibus rebus tentari consueuere. Perfecti denique à propria sui ipsorum æstimatione, proprio iudicio, aliisque huiusmodi punctis, idq; occasione excellentiæ virtutis, tentantur. Nihilominus videre est non raro, prouectos ab incipientium, & è contra hos ab illorũ tentationibus impeti. Quod mirabili diuinę sapientiæ dispositione contingere solet, quæ prouectos in humilitate continere vult, quorum nimirum tentationes, velut extrinsecus adherescen-

tes ſunt, non verò ab intrinſecus enaſcentes, ad maius ſcilicet tentatorum bonum.

Dubium XI. Num diuerſæ ſint in tribus hiſce gradibus conſolationes & illuminationes? Reſpondeo eſſe: adeo vt, ſicut verè quidam ſunt gradus charitatis ab inuicem diſtantes, ita & fauores diuini ſint vnus ab altero diſcrepantes: nam fauores incipientium quædã ſunt velut blanditiæ & delimenta paruulorum, proficiẽtium, altius quid, perfectorum, dona ſunt altiſſima. Etſi verò magna inter hos tres gradus ſit perfectionis diſtantia, aliqua tamẽ etiam inter eoſdem eſt ſimilitudo, quæ hoc loco inprimis notãda eſt. Multi quippè incipientes, dum vitas Sanctorum & Sanctarum legunt, & tamen ſufficientem lucem non habent ad perfectionis differẽtiam notandum, atque, prout oportet, æſtimandam, grauiſſimè errant, dum ſibi perſuadent, tali ſe á Domino conſolationes & illuminationes modulo accipere, quo Sancti & Sanctæ ſolent; ſupradictam ab inuicem diſtantiam, occaſione alicuius ſimilitudinis, vel ex errore, vel ignorantia, non aduertentes. Aliqua, fateor, hic non rarò ſimilitudo eſt, ſed talis, qualis inter flammulam lucernæ, & Solis iubar eſt: hec enim in eo inuicem ſimilia ſunt in quantũ

am-

ambo illuminant; maxima tamen inter vtriusque lumen differentia est. Vnde incipientes nonnulli, nullam adhuc maximæ illius perfectorum lucis experientiam & notitiam habentes, quando vel aliquem radiolum (qui nonnisi instar flammulæ lucernæ est) accipiunt, grauissimè falluntur, ipsam solis se lucem accipere existimātes, quod ab admiratione, quæ cum ignoratione fauorum perfectis dari solitorum coniuncta est, nascitur. Quod enim radius hic lucis cuiusdam superioris sit, cui nihil in hac vita cōparari posse videatur, summoperè eo recepto obstupescunt, & cum de illustrium illorum fauorum Sanctis datorum numero esse credunt, cùm tamen vix de minimis sit.

Dubium XII. Num aliqua sint in via perfectionis in tres gradus supra dictos diuisæ profectus, vel progressus indicia, vel signa? Respondeo esse: & multis, quæ parum vtilitatis lectori allatura videntur, omissis, dico, in omni virtute (tam charitate, quàm alia qualibet) tres quodammodo posse gradus distingui. Primus, firmum quoddam propositum est, quo quis secum statuat, in omnibus, quæ sese offerunt, in ea virtute operandi occasionibus operari. Secundus est, ipsa his in occasionibus for-

titudo & constantia, vt quamuis difficultatem in operando sentiat, ipsam tamen effectu per virtutis æstimationem & amorem transiliat. Tertius denique, illos virtutis actus, qui primò amari & asperi erãt, magna cum facilitate & voluptate exequi. Quando ergo aliquis Dei seruus aduertit, non modò habere se resolutam firmamq; ad virtutis actus exercendos voluntatem, verùm etiam omnes se difficultates perrũpere, & amaritudinem perferre seipsum reuera vincendo, quo ex virtutis præscripto operetur, probabili coniectura credere potest, aliquem se iam in diuina gratia progressum facere. Deniq; cùm hãc ipsam virtutem sibi facilem & suauem, post primam illam difficultatem & asperitatem, quam senserat, reddi videt, multò etiam maiori cum ratione & fundamento iudicare iam potest, diuina ope magis se iam profecisse.

Dubium XIII. Num in hac coniectura, vel iudicio aliqua inueniri possit deceptio? Respondeo posse: sæpè namque euenit, vt blandè suauiterque Deus incipientes habeat, eos & consolando, & illuminando, itaque corroborando, vt viam vniuersam ipsis complanare videatur: quibus, quamdiu hæ deliciæ & consolatio-

nes durant, nulla prorſus in mundo eſſe videtur difficultas, quæ aliquod iis afferre faſtidium poſſe videatur, atque adeo ipſa virtutum exercitia ſuauia iudicat, vſq; eò, vt talia hi propemodum in ſeipſis experiãtur ac videant, qualia prouectis obueniũt, quibus nimirum virtus poſt frequentes victorias reddita ſuauis & dulcis. Verum errant: illa namque ſuauitas, quam in operibus virtuoſis exercendis ſentiunt, nõ eſt ipſorum progreſſui aut victoriis, quas iam retulere, aſſcribenda, ſed quia clementiſſimus Deus per has conſolationes & ſenſibiles confortationes, paſſiones ipſorum conſopit, atque inde fit, vt ipſis difficultas omnis dulceſcat, & ſuauis reddatur, ſed reuera talem nondum progreſſum fecere, vt iam in ipſo ſint prouectorum gradu. Quod euidenter patet. Mox enim vt blãditiæ illæ infantiæ ſpiritualis abierint, paſſiones denuò inualeſcere, & violenter inſurgere incipiunt, vt iam nouitij hi tirones facile aduertant, nondum ſe prouectos, nec in veris & ſolidis virtutibus fundatos eſſe. Quando tamen viriliter paſſionibus vehementius inſurgentibus reſiſtunt, maiorem communiter progreſſum faciunt, quàm quando ſuauiter blandeq; à Domino habebantur, ſeque credebant & Deum

ipſum,

ipſum, & virtutum honeſtatem ſummo amore proſequi.

Dubium XIV. Num perfecti, quorum exercitium propria ſunt amoris & contẽplationis, qua diuinitatem contemplantur, omnem rerum corporalium imaginẽ à ſe repellere debeant? Reſpondeo, non debere eos ſe in totum imaginibus humanitatis Chriſti, cuius ſæpè meminiſſe debent, priuare, cùm & perfectiſſimi quique omne ſuum tempus rerũ intellectualium conſiderationi non impendant, ſed ſubinde ipſa humanitatis Chriſti myſteria conſiderãt, quòd Chriſtus Dominus omnis perfectionis ſit dux & exemplar. Non inutile quoque foret, interdum aliquantulum temporis Beatiſſimæ Virgini, & Sanctis colendis dedicare, ac ſemper magis & magis in illorum imitatione ſe perficere, ita ſcilicet, vt minimè illis ſufficiat, quidquid hactenus hac in parte fecerunt. Doctrinã hanc tradit Beata Mater noſtra Tereſa, quæ hac in parte aſſeueranter admodum conſtanterque loquitur.

Dubium XV. Num perfectis liceat interdum ſe perfectos eſſe agnoſcere, idque ſine vllo humilitatis detrimento? Reſpõdeo, fas id eſſe, idque fieri cum via quadã extraordinaria, ſcilicet per reuelationem

Dei (vti in sancto Paulo contigit) tum via non adeo extraordinaria, quando nimirũ Dominus, singulari quadam luce sua communicata, mirabilem illos sui facit mutationem agnoscere; simul etiam lucem & gratiam iis communicat, qua agnoscant se omne illud, quod habent, bonum non à se, sed á diuina gratia habere: & agnoscãt id magno, & intimo quodam humilitatis, gratitudinis, amoris, sensu, ac timore quodam filiali, qua diuinam bonitatem vereãtur offendere. Viatores autem spirituales nefas est curiosè speculando inquirere, quonam in statu vel gradu sint, sed sufficit illos in via sua semper intrepidè animoseq; progredi, reliquum directori ac patri suo Spirituali committant, cumque sibi sinant exercitia præscribere.

Dubium XVI. Ecquæ sit compendiosissima, qua ad perfectionem perueniatur, via? Respondeo, humilitas, vti Sanctorum exempla satis declarant, adeò vt qui seriò, & ex animo sese in omnibus rebus humiliauerit, eò citius ad altiorem perfectionis charitatis gradum eleuandus sit.

TRACTATVS DE VITA ACTIVA ET CONtemplatiua, in quo docetur, quid sit contemplatio.

QVando Sancti de his duabus vitis loquuntur, loquuntur de homine secundum intellectum. Diuiditur autem hic in actiuum, & contemplatiuum, vel in practicum & speculatiuum. Practicus est, qui actionem aliquam exteriorē & diuersas etiam interiores extra intellectum in finem habet, quo notitia practica, vel actiua ordinatur: Speculatiuus est, qui cognitionem veritatis vt finem respicit, & hanc spectat vita contemplatiua. Per nomē autem hoc vitæ illud exercitium, vel continuationem actuum significare volunt, quibus quisq; nostrum intendit: qui si ad contemplationem destinantur, vitam faciunt contemplatiuam, si autem ad actionem ordinantur faciunt actiuam.

S. Tho. 2. 2. q. 79. 180. &c.

2. Dubium I. Quinam actus ad vitā pertineant actiuam; Respondeo, huc spectant omnes actus virtutum moralium: hi enim omnes non ad cognoscendum, vel

intelligendum; sed ad operandum ordinati sunt. Adeò vt non solùm actuum exteriorum (vti sunt opera manualia necessitatum præsentis vitæ, aliaque pia ad proximi vtilitatem spectantia, qualia sunt prędicare, confessiones excipere, docere, & alia huius generis;) verùm etiam interiorũ actuum virtutum moralium (vti sunt actus obedientiæ, humilitatis, patientiæ, fortitudinis, castitatis, &c.) studium, nec non exteriores harum virtutum actus vitæ actiuæ conueniant: deniq; ad eam illud spectat exercitium, quo passiones omnes, & exteriores, interioresque sensus mortificãtur. Est hoc quippè amplissimus quidam campus, quem non pauci magno suo quęstu, & lucro spirituali ambulant, & in quo vice versa alij capiuntur & pereunt, hunc verò boni religiosi feliciter pertranseunt, quam enim hi vitæ actiuæ exercent partẽ, nullos ea temporales respectus habet, sed solas rationes spirituales, quæ magnorum meritorum ipsis sunt occasio.

3. Dubium II. Num hæc vita actiua futura sit in cœlo? Respondeo, quod non: quia desinet ibi omnis exterior occupatio, & si qui actus exteriores ibi futuri sunt, ad contemplationis finem referentur, ac proinde ad vitam spectabunt contemplatiuã.

ipsæ etiam virtutes morales, quæ interiores actus producunt, quò hominem in hac vita reforment, tunc non hos, sed alios ad vitam contemplatiuam spectantes actus producent, verbi gratia, virtutes, quæ iam regunt passiones, tunc non ad easdē mortificandas; sed ad mirabilem quandam in parte inferiori, in qua passiones dominantur, quietem conseruandam conducent: & hæc ipsa quies ad vitam contemplatiuam, quæ in cœlo habetur, referetur.

4. Dubium III. Quinam actus ad vitam pertineant contemplatiuam? Respondeo, quatuor actuum species ad eam pertinere; scilicet primò actus virtutum moralium, ceu quędam ad eandem dispositiones, in quantum passiones serenant, & exterioribus occupationibus finem imponunt, ne ab iisdem anima interturbetur. Secundò, ipsi actus intellectus, & aliarum partium hominis, qui propriè contemplationes non sunt, sed præuiæ tantùm dispositiones, vti lectio, meditatio, consideratio, &c. Tertiò, actus contemplationis de effectibus & operibus diuinis. Quartò, actus contemplationis de diuina veritate. Tres actuum species sunt nonnisi dispositiones: quarta propius & principalis est actus, in quo vita contemplatiua consistit.

5. Dubium IV. Num vita contemplatiua tota in intellectu versetur? Respondeo, essentialiter quidem eam in intellectu sitam esse, quia contemplationis actus est opus intellectus, sed in affectu per ineffabilem quandam delectationem terminari, tunc quippe diuina charitas per diuinarum perfectionum notitiam mirabiliter inardescit.

6. Dubium V. Num vita contemplatiua continua sit, & semper duret? Respōdeo, quòd sic, sed non vno eodemq; modo: quia alius est contemplandi modus in hac vita, alius in altera: in hac enim vita contemplamur ænigmaticè, in futura verò per claram Dei visionem. Cæterum cùm sancti vitam contemplatiuam in cœlo etiā manere & perseuerare docent, id in sensu quodam vniuersali intelligendum est, qui nimirum tàm vnum, quàm alterum modū contemplandi includat; quia hæc vita cōtemplatiua nonnisi inchoatio vel imperfectus quidam contemplandi modus est, qui tum perficietur, cùm in alium, contemplatiuum quidem, sed perfectissimum commutabitur, vt si hominem, qui prius tenuis & impotens quidam regulus erat, & deinde ad amplius & maius regnū euehitur, semper regem esse, & perseuerare diceremus.

7. Dubium VI. Quid est contemplatio? Respondeo, contemplatio quidam est actus, vel potius intuitus intellectus, per quem is purè & quietè res intelligit, vel intuetur. Quod per illam, quæ inter meditationem & contemplationem est, distinctionem melius intelligeretur. Meditatio siquidem est discursus intellectus veritatem quærens, contemplatio verò est quietus veritatis inuentæ intuitus. Adeo vt meditatio sit velut via, contemplatio eiusdem terminus. Nota, quòd meditationem esse diximus viam, etiam de omnibus orationis partibus, quæ communiter in vsu sunt, id intelligendū esse: quoniam per omnes has quæritur ipse contemplationis terminus, & ad eum tenditur. Quod facilè intelliget is, qui supradictas orationis partes exercendo, à Deo ad veram contemplationem sustollitur: neque enim ea per nostram comparatur diligentiam, neue in ea tali modo anima operatur, quali dum orat mentaliter, sed per singularem quandam Dei animam quoties voluerit suspendentis, gratiam infundi solet.

8. Dubium VII. Quid est contemplatio diuina? Respondeo, ea, quæ per donū Spiritus sancti, quod dicitur sapientia, exercetur. Vt hæc responsio, quæ commu-

nis est omnium, qui de diuina contemplatione scripserũt, doctrina intelligatur, notandum est, quandam esse contemplationem naturalem, quæ circa Deum, in quãtum ipse naturæ est auctor, & circa mysteria & opera supernaturalia versatur; esse denique aliam contemplationem diuinã, quæ circa Deum, eiusque perfectiones diuinas, idq; per donum sapientiæ versatur. Perinde ac si diceremus, quemdam hic esse intellectus intuitum, purum, quietum & acutum, per quem aliquando ipsa per lumen naturale veritas naturalis vel videtur vel intelligitur: aliquando verò per lumen supernaturale mysterium aliquod supernaturale cognoscitur, ad quem intuitũ alicuius veritatis naturalis cognitio per lumen supernaturale acquisita reduci potest: interdum denique specialissimo supernaturali lumine perfectio aliqua diuina per sapientiæ donum cognoscitur. Primo modo contemplantur aliquando Philosophi, qui postquam super aliquod naturæ arcanum discursum formarunt, ad claram, tranquillam & acutam eius intelligentiam perueniunt, intellectus autẽ quietatur, pascitur & hoc obiecto cum aliqua mentis suspensione delectatur. Secundo modo contemplantur interdum ipsi serui

Dei, idque per mirabilem quamdam mysteriorum gratiæ cognitionem; eadẽ quieta & acuta notitia, & animi suspensione cognoscendo, atque hoc modo contemplantur etiam vt plurimum Prophetæ circa supernaturalia, vel per lumen supernaturale circa naturalia. Tertio modo contemplantur ij, qui donum habent sapientiæ, & præter id specialissimo quodã priuilegio lumen quoddam diuinum actuale recipiunt, cuius adminiculo diuinæ contemplationis actum circa perfectiones diuinas, cum quadam admiratione, & animi suspensione producunt: Actus hic ita cum sancto Bonauentura in 3. itinere æternitatis definiri potest: Contemplatio est quidã actus intellectus non impediti, per gratiã sanati, ad æterna spectacula intentus, & præ eorum admiratione suspensus. Dicitur autem actus intellectus non impediti; vt enim diuina quis benè contempletur, necessaria est quædam hominis á negotiis & impedientibus passionum & cogitationum humanarum interturbationibus abstractio. dicitur intellectus debere esse per gratiam sanatus, eò quòd eius lux, ignorantiæ & tenebrarum, actum contemplationis impedientium morbum tollit. Ad hæc, quia diuina contemplatio doni sapi-

entiæ, quæ cum gratia gratum faciente iuxta Diuum Thomam semper coniungitur, actus est; hinc intentus dicitur spectaculis æternis, quia diuina cōtēplatio, diuina & æterna obiecta, puta bonitatem, maiestatem, pulchritudinem, infinitatem, æternitatem, aliasque diuinæ naturæ perfectiones intuetur. Dicitur denique per admirationem suspensus, quia magnalia, quæ diuino auxilio cognoscit, maximoperè demiratur & stupet. Hæc est videlicet diuina contemplatio, tantoperè à sanctis Scriptoribus celebrata, ad quam omnimodis adspirant illi, qui vitam contemplatiuam sectantur.

9. Dubium VIII. Quale est illud sapientiæ donum? Respondeo, est id altissimum & perfectissimū quoddam donum, quod in intellectu situm tum ad diuina contemplandum, tum ad humana per regulas diuinas dirigendas conducit: adeo vt id primò ad puram, sublimem, & tranquillam quamdam de diuinis perfectionibus habendam notitiam; deinde ad rerum humanarum directionem, quantum ad diuinarum notitiam spectat, seruiat. Horum autem duorū actuum primus vocatur cōtemplatio diuina, adeo vt diuina contemplatio quidam sit doni sapientiæ actus.

S. Tho. 2. 2. q. 45. art. 2. & 3.

Quod etiam asserit S. Bonauentura 3. itinere æternitatis dist. 2. Estque hæc doctrina conformis iis, quę docet Diuus Thomas 1. p. qu 43. art. 5 ad 2.

10 Dubium IX. Quam excellens & eximia sit illa sapientiæ notitia, quæ dicitur contemplatio diuina? Respondeo, eã esse quandam mirabilissimam, tranquillissimam, candidissimam & subtilissimam rerum diuinarum notitiam, de quibus scilicet iudicat is, qui eas modo quodam affectiuo considerat, diuinam in voluntate charitatem præsupponendo, quæ per illã perfectionum diuinarum notitiam maximè inflammatur & crescit. Donum quidẽ Spiritus sancti, quod dicitur intellectus, confert, vt homo perfectiones diuinas apprehendat & percipiat, sed donum sapientiæ, vt de iisdem per actum contemplationis formet iudicium.

S. Tho. 2. 2. q. 180. ar. 7. 11. Dubium X. Num hæc notitia adeò sublimis, quæ propriè vocatur diuina contemplatio, delectabilis sit? Respondeo ex communi Sanctorum, qui eã experti sunt, doctrina eam esse supra omnes consolationes humanas maximè delectabilem & deliciosam, & vniuersam mundi eloquentiã ad eam explicandam, vel ad dignè de eã loquendum, parem non esse.

12. Dubium XI. Ecquos diuina contẽplatio effectus in anima facere soleat? Respondeo, hanc ab ea adeo mirabiliter immutari, vt nulla lingua humana id valeat exprimere, quod videre est ex experientia, videmus enim aliquot Dei seruos, quibus singulare hoc donum obtigit, vno quadrante horæ, quem contemplationi impẽdunt, maiorem in anima impressionem experiri, quàm si multis annis ordinariæ orationi sese dederent. Anima namq; quæ vel semel in deliciarum diuinarum thalamum introducitur, adeo diuinæ pulchritudinis amore inebriatur & rapitur, vt repentè quidquid in terra amabile est, contemnat, & magna quadã resolutione carnis mortificationi, & suiipsius humiliationi se dedat omnibusque se occasionibus, è quibus maior Dei gloria secutura speratur, vitam, mortem, omniaq; bona nihil morata, vt de sola diuina maiestate solicita, vltrò & gratanter obiiciat.

13. Dubium XII. Quid sibi vult, quòd omnes, qui in statu sunt gratiæ, donum quidem habeant sapientiæ; adeo tamen rari sint, qui donum habent contemplationis? Respondeo, multas sterilitatis huius posse esse causas: puta primò ipsam paruam vitæ puritatem, quando nimirum

homo multa venialia peccata committit, multas deinde occupationes & negotia, adhæc communicationis diuinæ paruipē-sionem, aliasque huiusmodi. Nota, omnibus quidem iustis ipsum sapientiæ donum (vti & cætera Spiritus S. dona) conducere (quantum quidem ad ipsorum salutē necessarium est) cùm ad benè de rebus diuinis iudicandum, tum ad res humanas iuxta regulas diuinas ordinandas, secundùm sententiam Diui Thomę 2.2 quæ. 45. art. 5. sed quàm paucissimos esse, qui cum tanta cordis custodia viuant, vt ad propriè dictā contemplationem perueniant, & suauissima illa Dei communicatione potiantur, quæ quædam velut est felicitatis cælestis, & futuræ inchoatio. Tametsi alioquin plures sint, qui ad alios inferiores contemplationis gradus perueniant.

14. Dubium XIII. Quæ sit magis ordinaria, & recta ad contemplationem via? Respondeo, ipsum exercitium orationis, quia iuxta doctrinam Sanctorum, rarissimum quid est, & propè miraculosum cōmum quid est, & propè miraculosum cō-templationis habere donū, non præmissa ante oratione. Vnde qui pretiosissimum contemplationis monile habere voluerit, videat vt, sicut oportet, orationi se dedat, vitam scilicet viuendo mortificatā & hu-

milem, iisque abstinendo rebus, quæ interiorem quietem & communicationem diuinam impediunt. Deberet profectò doctrina hæc homines Spirituales maximoperè exstimulare, vt magna quadam cum mortificatione vitam instituere, nullique labori parcere proponant, quò ad qualemcumq; contemplationis gradum, etiamsi minimum, tandem peruenirent: non tam, vt inde insignem quamdam consolationē hauriant, quam propter vitæ perfectionē, quæ sic acquiritur, & delicias, ac delectationem, quam diuina maiestas ex arcta cum hominibus communicatione & familiaritate percipit.

15. Dubium XIV. An sint diuersi modi contemplationis? Respondeo esse; vti videre est in libris & scriptis Beatæ Matris Teresæ de Iesu, diuinam sapientiam vbiq; spirantibus: nam illæ distinctiones orationis, recollectionis interioris, orationis quietis, orationis vnionis, matrimonij spiritualis, euolationis spiritus, &c. nihil sunt aliud, quam distincti contemplationis modi & gradus: qui quidem omnes semper sunt gradus contemplationis supernaturalis, sed non omnes semper contemplationis diuinæ: quia sub illis nominibus diuersa contineri potest eleuatio & excellen-

tia luminis interioris, nec non diuersa obiecta, & diuersi perfectionis gradus: verùm certus præscribi numerus, certusque gradus perfectionis non potest, quia Deus, prout vult, illas quoad numerum & perfectionem variare & mutare potest.

16. Dubium XV. Num diuina contẽplatio diu durare possit? Respondeo ex cõmuni Sanctorum doctrina, eam in hac vita paruo tempore durare, etsi demus, vitam contemplatiuam ex se esse durabilissimã. Doctrinam hanc docet Augustinus, qui in Confessionibus suis deplorat, quòd breuissimum sit spatium, quo homo cum Deo vniatur, & illam dulcedinem degustet, quodq; statim ad res creatas relabatur. Quod tum ob corporis, tum ob negotiorũ ad vitam mortalem spectantium pondus fieri certum est. Nota, ita quidem ordinariè fieri: huic tamen doctrinæ non aduersatur id, quod de aliquibus Sanctis legitur; horum enim nonnullos longo tempore à mente abstractos & in contemplatione suspensos fuisse constat. De duratione autem ordinaria non est certum, quid à nobis hic statuendũ, an ea ad quadrantem horæ, vel mediam horam, vel tres quadrantes, plus aut minus extendatur. Hoc scire sufficiat, tempus breue esse

S. Aug l. 10. Conf. c. 40. S. Grego 5. morali.

&

& ipsam breuissimi temporis (verbi gratia, horæ quadrantis) contemplationem mirabiles effectus producere.

17. Dubium XVI. Vtra vita maioris sit meriti, actiua an contemplatiua? Respondeo, contemplatiua natura sua ex cōmuni Sanctorum doctrina, maioris meriti est, eò quòd directius in amore Dei (in quo meritum consistit) occupatur: per accidens tamen fieri potest, vt in actiua quis vita plus sit promeriturus, quám alius quispiam in contemplatiua: verbi gratia, si quis Dei famulus ex diuini amoris abūdantia, vt proximis benefaceret, & iuuaret, ipsa contemplationis dulcedine sese vltro priuare vellet. S. Tho. 2 2 q. 182. art. 2.

18. Dubium XVII. Num vita solitariorum, qui contemplationi vacant, sit contemplatiua monastica perfectior? Respondeo esse, si debitè sumatur, nempè postquam quis in exercitiis monasticis aliquamdiu egisset. Ita enim præsupponitur is iam in aliorum consortio, qui ei & ad intellectum illuminandū, & affectus corrigendos opem præstiterint, ad magnam vitæ perfectionem venisse. Alioquin ea periculosissima est, vti docet Sanctus Thomas 2.2. quæst. 188. art. 8. atque ideo, qui eam eligit per saltum, nulla dum antè per-

tectione acquisita, grauissimè errat, nisi gratiæ alicuius extraordinario Deus priuilegio suppleat, vti in aliquibus illustris nominis Sanctis eum fecisse legimus, puta in Sancto Antonio, & Sancto Benedicto.

TRACTATVS DE FRVCTIBVS ET DONIS Spiritus Sancti; deque beatitudinibus.

QVI spiritualibus rebus vacant, ac præsertim ij, qui magistri sunt, & de aliis iudicare debent, donis & fructibus Spiritus sancti, ac beatitudinibus quàm maximè studere deberent: cùm rerum spiritualium, ac diuinarum plurimæ, quas in anima Altissimus operatur, ad dicta dona, fructus & beatitudines pertineant. Deinde paucissima de id genus rebus in multis Spiritualibus libris, scripta esse cernimus. Hinc in Dei honorem, & proximi vtilitatem cessurum arbitror, breuiter distincteque præcipua materiæ huius puncta scripto prosequi.

2. Suppono cum D Thoma 1.2.qu.68. Dona Spiritus sancti, habitus quosdam excellentes esse, quos iustis Dominus communicat, quorum ope animæ, in qua sunt potentiæ ad excellentes & heroicos quosdam actus, Spiritus sancto impellente, faciendos inducuntur. Adeo vt in illis actibus producendis anima á solo Spiritu S. impellatur, & dona hæc illi ideo communicentur, vt á diuino illo Spiritu facilè se moueri conducique sinat. Nam etsi virtutes Theologicę longè perfectiores sint donis, & magnam animæ ad se in Domino, qui harum finis & obiectum est, occupãdam perfectionem conferant, hæ tamen virtutes tam perfectè ab anima non participantur, quin his etiam donis, velut auxiliis, quò facilè à Spiritu diuino moueatur, necessariis opus habeat. Atque inde est, quòd per hæc dona anima agilis fiat, & ad Dominum, velut impulsa emoueatur. cùm per virtutes Theologicas seipsa magis actiuè moueat.

3. Diximus, dona Spiritus sancti ad virtutum Theologicarum excellentiam non pertingere: cui insuper addendum est, ea cæteris virtutibus etiam moralibus infusis excellentiora esse: hæc namque dona animam in ordine ad Deum immediatè

perficiunt, quod cæteræ virtutes non faciunt.

4 Dona in Scripturis, ac libris Sanctorum Patrum recensita sunt hæc septem: sapientia, intellectus, fortitudo, scientia, pietas, consilium, timor è quibus donis dona intellectus, sapientiæ, scientiæ, & consilij in ipso intellectu consistunt, donum pietatis in voluntate, donum timoris in parte concupiscibili, donum fortitudinis in irascibili. Adeo vt omnes hominis partes, in quibus virtutum habitus versantur, aliquod etiam donum Spiritus sancti comitetur.

5. Donum intellectus confert ad res diuinas, quas docet fides vel apprehendẽdas, vel concipiendas: adeo vt eius adminiculo hæ modo quodam penetrationis vel subtilitatis diuinæ intelligantur. Donũ sapientiæ seruit ad benè de rebus diuinis & creatis per rationes diuinas iudicandũ. Donum scientiæ confert ad benè de rebus creatis iudicandum. Per donum consilij concludimus, & è iudicio, quod per dona sapientiæ & scientiæ antè formatur, inferimus & colligimus, quid in particulari nobis faciendum sit. Qui quatuor donorum actus per antè dictum Spiritus sancti impulsum fiunt. Per donum pietatis, de-

bitum Deo, velut Patri, & Sanctis honorẽ reddimus, atq; hoc intuitu diuinum cultum intuetur. Dono timoris appetitum concupiſcibilem, in quo ipſe verſatur, à rebus delectabilibus animæ bonum impedientibus, auocamus. Timor in ſeruilem filialem & initialem diuiditur. Seruilis eſt, quo quis pœnas & ſupplicia, quæ Deus peccatoribus conſtituit, metuit, atque hac de cauſa tam à peccato recedit, quàm bonum agit, & is tum bonus & ſalutaris eſt, quando ab amore proprio benè ordinato prouenit, vt ſcilicet quis damnum pœnæ pati nolit, ſed benè eſſe, illam pœnæ carẽtiam non vt finem vltimum reſpiciendo, ſed eam vt bonum ſtatum, ad Deum velut vltimum finem referibilem, habendo. Timor initialis eſt quidam timor filialis imperfectus, quo homo ita Deum timet offendere, vt ſimul timeat pœnam, timoreq; ſeruili ex parte ad benè agendum impellatur. Timor filialis eſt, quo quis Deum veretur offendere, & ab eo per peccatum ſeparari. Cæterum tres hi timores à timore mundano diuerſi ſunt; ita enim per hũc quis malum vel aliquod vitę huius incommodum metuit, vt, quò ipſum euitet, Deũ mortaliter offendat. Inter omnes illos enumeratos timores mundanus Spiritus

sancti non est donum, vti nec seruilis inter septem hæc dona recensetur, eò quòd cū voluntate peccandi is queat consistere, vti Augustinus á sancto Thoma 2.2.quæst.19. ar.9. citatus asseuerat. Is tamen in sua substantia bonus est, etsi ipsa alioquin seruilitas mala sit, vti Diuus Thomas docet: sicut fides informis bona est, quantum ad substantiam, etsi informitas in se mala sit. Timor initialis eiusdem est (si substantiam & essentiam eius spectemus) cum filiali speciei, etsi aliquid seruilis admistum habeat, à quo quoad essentiam distinguitur. Inter Spiritus sancti autem dona non enumeratur, nisi solus timor filialis, qui alio nomine diciturTimor castus perfectę charitati proportionatus: hæc enim timorem seruilem à se reiicit, vt qui cum charitate nequit consistere, in quantum seruilis est: quia non aliter vocatur seruilis, quàm dū pœnam velut præcipuum malum timet: quod charitati & timori filiali repugnat, ipsa tamen timoris seruilis substantia cum charitate consistere potest, exclusa seruilitate; vnde etiam timor pœnæ sine seruilitate, cum charitate consistere potest. Quinimò timor hic pœnę minuitur, prout ipsa charitas crescit; quæ dum perfecta est, pœnam non formidat. Dono forti-

tu-

tudinis, quæ in parte irascibili versatur, donati; difficultates & pericula, Dei seruitium, eiusque vnionem impedientia perrũpimus victores. In omnibus septem donorum, quos diximus, actibus aliqua includitur excellentia, dum nimirum illi ex Spiritu sancti motione peraguntur.

6. Ad præclara hæc dona referuntur multi mirabiles actus, quos ipsi Dei famuli per singulares quosdam Spiritus diuini motus, extraordinario quodam modo faciunt, quorum plurima in sacris litteris, ac priscis vitis Sanctorum legere est exempla. Verbi gratia, ad donum intellectus (quod ad res fidei penetrandas confert) subtilis & delicata quædam multorum Sanctorũ ac Sanctarum, qui sibi diuina mysteria mirabili quadam ratione intelligere videbantur, refertur intelligentia. Dono sapientiæ adscribitur diuina contemplatio, qua sancti, sanctæq; iudicium velut connaturale de rebus diuinis efformabant, quàm arctissimè se cum illis purissimo quodam amore vnientes. Dono scientiæ discretio vel distinctio, & æstimatio veritatum attribuitur Catholicarum, quas Ecclesia nobis proponit, quas ipsi Sancti & mirabiliter discernere, & contrarios errores refutare potuerunt. Dono consilij mirabiles & stu-

pendæ quædam electiones status attribuuntur, quæ quamdam rationem conuenientiæ in vitæ huius perplexitatibus & tenebris inueniunt: nec non multæ decisiones & resolutiones in casibus particu-
3. Re. 3. laribus pares illi Salomonicæ, qua is puerum, quem duæ meretrices sibi litigando quæq; deposcebant, diuidi iubens mediũ, per singularem Spiritus sancti instinctum collegit, ecquæ vera eius foret mater. Si-
Dan. 13. mile huic fuit illud Danielis iudiciũ, quo Susannam per hoc donum consilij ab iniqua duorum illorum impurorum senum malignatione liberauit, eosq; ipsemet cõuincens coram vniuersa multitudine confutauit. Dono pietatis multa insolita Sãctorum gesta Dei honorem spectantia attribuuntur, dum & apertè in arenam descenderent, nec ferre valerent, vt qui vero Deo & Patri nostro debetur honos, idolis adscriberetur, dum etiam indignarentur viso debitum sacris imaginibus, aliisq; rebus sanctis honorem denegari, imò verò dum publicè tum tyrannos, tum hæreticos coarguerent. Ad donum timoris referre licet stupenda aliquot Sanctorum ac Sanctarum facinora, qui vrgentissimas inter castitatis suæ amittendę occasiones ita timoris huius freno concupiscibilem suã

par-

partem refrenabant, itaque á Spiritu sancto ad puritatem suam conseruandam incitabantur, & exstimulabantur, vt per media pericula immunes & indemnes iis metuentibus pertransirent, in quibus alij, nō ita à Spiritu sancto excitati, minimè potuissent. Qua de re multas Sanctorum legere historias est. Dono fortitudinis audacia & generositas asscribenda Martyrum qui cōstantia & robore quodam leonino armati in mortem intrepidè ruebant. Quin etiam in veteri lege multa fortitudinis huius exempla videre fuit, vti illud Samsonis, Iudi. 16 quando columnis collisis, seipsum simul & omnes, quotquot in domo illa erant, vni ruinæ involuit: nec non illud Eleazari 1. Macha. 6. Iudæi, qui se sub elephantum coniiciens eum interfecit; seque ab eiusdem prolabentis mole opprimi passus est.

7. Hac ex obseruatione spirituales homines discant non turbari, si quando alios Dei seruos talia vident agere, quæ nimis quàm extraordinaria, vel etiam inordinata videntur; vnde velim iudicium firmēt, sibi persuadentes hæc Spiritus diuini consilia esse posse; vti fuit quando Dauid se 1. Reg. 21. coram Rege Getheo fatuum & amentem finxit, & coram arca Domini, regiis vestibus exutis, saltauit; & dum S. Alexius

clàm

clàm ſe Roma ſubduxit, noua quadā arte mundum exſibilans; & dum Alexander Carbonarius carbonariam ea de cauſa exercuit, quò à mundo exploderetur, & ſcientiam, quà dotatus erat abſconderet, aliiq́ue ſimiles euentus.

8. Ipſa donorum Spiritus ſancti intelligentia permultum etiam ad interiores & Spirituales magis eleuatas contemplationis, & Theologiæ myſticæ res confert. Theologus enim, qui nouit, vnumquemque, qui in gratia Dei eſt, multos habitus infuſos, à diuina gratia inſeparabiles, in intellectu habere, qui vel ad res diuinas penetrandas, (vti donum intellectus) vel ad diuinè contemplandum faciunt, vti Donum Sapientiæ, cuius Doni elicitus & proprius actus diuina Contemplatio eſt; aliquod Theologicæ ſcientiæ fundamentum habebit, ad de cognitionibus ſublimibus interioribus, ac de diuinis conſolationibus (quas animabus puris per nobiliſſimum donum Sapientiæ, ita intellectus illuminans; vt ad voluntatem, quæ Dei ſaporem deguſtat, inflammandam faciat communicat) iudicandum.

9. Quoad fructus Spiritus ſancti & Beatitudines (vt aliquot diſtinctiones Theologorum parum neceſſarias relinquamus)

quan-

quantum quidem ad nostrum propositum facit, notare suffecerit, fructus & Beatitudines virtutum & donorum Spiritus sancti non habitus, sed actus esse: adeò quidem, vt virtutum actus dicantur fructus, quia sunt quidam vltimi & delectabiles hominibus effectus; sicut fructus arboris, qui in arbore & vltimi & sapidissimi sunt. Vocãtur autẽ hi fructus Spiritus sancti, in quãtum à gratia Spiritus, velut à semine quodam diuino, progignuntur. Sed Beatitudines in hoc illis maiores sunt, quòd hæ quidam actus perfectiores & excellentiores sunt; adeò vt perfectionem fructuum in se includant, & vlterius etiam progrediantur. Atque ob hanc excellentiam Beatitudines ipsis Spiritus sancti Donis attribuuntur, quia, vti suprà diximus, conferunt, vt heroicos & excellentes quosdam actus homo faciat; fructus autem virtutibus ascribuntur, etsi non adeò excellentes virtutes sint. quamquam subinde & Beatitudines ipsæ realiter virtutum sint actus; & fructus, nonnunquam actus donorum. Ideoque præcipuè ad actuum perfectionem attendendum est, in qua notabilior differentia sita est.

10. Circa Spiritus sancti fructus aliud non est dicendum, quàm esse eos delicio-

ſos quoſdam actus, vt videre eſt in illis, quos numerauit Apoſtolus, Charitate, Gaudio, Pace, Patientia, Benignitate, Bonitate, Longanimitate, Manſuetudine, Fide, Modeſtia, Continentia, Caſtitate. Quibus aliud non intendit Apoſtolus, quàm oſtendere hos in iuſtis Spiritum ſanctum fructus, cùm magna ipſorum delectatione, id eſt, amore, gaudio interiore, pace interna, patientia in laboribus, benignitate vel ſuauitate in conuerſatione; bonitate, vel malignitatis carentia, aliiſq; actibus ſequentibus producere: qui in hominibus Spiritualibus paſſiones habentibus ſimul & fauores diuinos conſiderandi ſunt. Si enim bona coniectura quis iudicet fructus Spiritus ſancti in illis animabus eſſe; probabili quoque argumento credere poterit illos à Spiritu ſancto regi. Non fuit autem Apoſtoli intentio, omnes Spiritus ſancti fructus enumerare, ſed præcipuos tantùm, vt benè aduertit D Thomas 1. 2. q. 70. ar. 4. Quod etiam de Beatitudinum numero dicendum eſt.

11. Circa Beatitudines ipſa actuum notanda eſt excellentia, qui quidem adeò diuini & excellentes ſunt, vt quædam quodammodo vltimæ & æternæ beatitudinis inchoatio vel principium dici que-

ant: anima quippè, quæ per diuinam gratiam hoſce actus producit, ad eam iam vitæ perfectionem pertigit, quæ à Beatorum in cælo vita non longè diſtat. Quod profectò veriſſimum eſt, ſiue illa D. Auguſtini præſupponenda opinio ſit, qua lib. 1. de ſer. Domini in monte, præmia à Redemptore Ieſu in illo ſermone aſſignata, in hac vita ait prælibari & prægustari: ſiue etiam contraria ſancti Ambroſij, lib. 5. in cap. 6. Lucæ; quæ vitæ perfectio; ad animã quæ eiuſmodi eſt, peruenit, planè admirabilis eſt, & ſtatui gloriæ quodammodo affinis ad quam conſequendam hi actus mirificè conducunt, ideòque dicuntur Beatitudines.

12. Illorum, quos Chriſtus Beatos vocat, ſtatus talis eſt, vt cum ſpiritus paupertate, id eſt, humilitate (quæ turgidæ inflationi ſuperbiæ contraria ſit) quoſdam ſummi ſuiipſorum contemptus actus producant; atque in hoc contemptu ipſum cælorum regnum deguſtant. Mites mirabiles quoſdam manſuetudinis actus producunt, per quam & multas de mundo victorias referũt & inimicorum capitalium iram vincunt, altiſſimum quemdam de hæreditate & pacifica terræ viuentium (id eſt, vitæ æternæ) manſione, in qua ſcilicet

ipsorum affectus non aliter quiescit, quam corpus in terra, sensum habentes. Qui mæstitia & luctu sancto, quem Christus in Euangelio describit, lugent, altissimam quamdam perfectionem habent, & ad æternam lætitiam quam proximè accedunt, cum ob summi & æterni boni (ad quod ex corde suspirant) carentiam summopere dolentes, tum eiusdem spe se consolantes & recreantes. Qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ij scilicet, qui perfectum quoddam habent diuinæ se voluntati cōformandi desiderium (qualis esse esurientium erga cibum, & sitientium erga potū affectus & ardor solet) magnam quamdā conscientiæ satisfactionem sentiunt, haud dissimilem illi, qualis habetur in cæna illa magna, in qua Deo Beati fruuntur, in qua sine vllo prorsus fastidio satiabuntur. Misericordia perfecta misericordium felicissima ac beatissima sors est, quia sicut miseros à sua liberant miseria, ita ipsi quoque à sua liberandi & beatificandi sunt, atque adeò beatitudinis huius firmissimā quamdam in hac vita concipiunt spem, quæ in immerito supremæ beatitudinis dici potest inchoatio. Qui puro & mundo sunt corde] hac puritatis perfectione ad tam sublimem Dei notitiam per donum

Intellectus in hac vita perueniunt, vt ea cum Dei visione comparari quodammodo mereatur, secundum sensum D. Thō. 1 2. q. 69. art. 2. ad 3. docentis, interiori oculo per Donum Spiritus Sancti, quod intellectus dicitur, purgato, Deum quodam modo videri posse. Quod colligere etiam est ex diuina contemplatione, in qua splendidissimam quandam lucem & ineffabilem sui notitiam, Dominus homini communicat. Pacifici, id est, qui interiora sua ita composita & pacata habent, vt pars inferior superiori, hæc autem Deo sese submittat, idque raræ cuiusdam perfectionis gradu (vti de multis sanctis virisque spiritualibus legimus;) ad talem serenitatem mentis perueniunt, vt Christo Domino similes fiant; vt sicut ille naturalis Dei est filius, ita ipsi singulari quadam excellentia huic se, velut filij adoptiui, configurent. Qui persecutiones propter iustitiam magno animo & fortitudine patiuntur, ad eum perfectionis perueniunt gradum, vt regnum cælorum iam in manibus habere videantur, idque propter testimonium bonæ & puræ, medias inter persecutiones, quas immeritò patiūtur, conscientiæ. Hæ sunt itaque Beatitudines, quas Redemptor Iesus prædicauit.

Circa quas, vti & circa fructus Spiritus S. notandum est, quamuis donorum Spiritus sancti & virtutum actus esse dicantur; non id ita tamen intelligendū esse, quod omnes fructus & Beatitudines propriè sint actus; cùm inter eos quædam sint excellentiæ, quæ propriè non sunt actus, sed aliqua beatitudinis species, quæ ipsos actus sequatur; verbi gratia, Pax inter fructus; & cordis Puritas, inter Beatitudines.

13. Ceterum Beatitudinum notitia & obseruatio, sicut & Fructuum, ad Spiritualium hominum consolationem mirè facit; nam cùm hi sciant, quàm inæstimabile Deus bonum amicis suis etiam in hac vita communicet, generose laborare conniti, & magnum in perfectione Christiana facere progressum proponūt. Conducet etiam (vti suprà cùm de Donis Spiritus sancti agerem, dicere memini) ipsis vitæ Spiritualis Magistris & Indicibus; qui in multis casibus, in quibus consulentur, actus delectabiles & excellentes, qui Theologicè dicuntur Fructus & Beatitudines, perspicient, nimirum circa examen hominū spiritualium, qui fauores participant diuinos. Quod cum ad bonum ipsorum, tum ad consolationem proximi conducet.

TRACTATVS
DE GRATIIS GRATIS DATIS.

1. QVamuis gratiæ quas Theologi vocant, gratis datas quæ quædam ſunt Dei dona, ad inſtruendum & iuuandum proximum, quò ad vitam æternam perueniat, inſtituta, interdum peccatoribus communicari ſolent; vt plurimum tamen iuſtis, qui eximiæ ſunt ſanctitatis, communicari eas conſtat, vti nos docent exempla ſanctorũ, qui & Prophetiæ ſpiritum, & gratiam miracula patrandi, & diſcretionem ſpirituum, aliaſq; id genus gratias habuerunt. Quin etiam noſtra hac ætate huiuſmodi in aliquibus hominibus ſanctitate illuſtrib⁹ chariſmata videre eſt. Vnde non inutile futurum, aliquam harum gratiarum breuiter notitiam dare.

2. Apoſtolus Corinthiis ſcribens, gratiarum gratis datarũ catalogum hoc modo contexit. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum; alteri fides, alij gratia ſanitatum; alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpi- 1. Cor 12.

ri-

rituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.

3. Significatio vel ſenſus illarum gratiarum gratis datarum, ſecundum D. Thomam hic eſt: ſermo, id eſt, cognitio ſapientiæ, in rara quadam rerum diuinarum, id eſt, concluſionum, quæ ex principiis & veritatibus Catholicis, quas fides docet, deducuntur, notitia conſiſtit. Gratia ſcientiæ in rara quadam affectuum & rerum naturalium & humanarum cognitione conſiſtit, vt earum adminiculo quis proximum ad res diuinas perducat. Gratia fidei non conſiſtit in eo, vt quis veritates Catholicas (quod omnibus omninò fidelibus commune eſt) credat, ſed in rara quadam & eminenti fidei firmitate, qua idoneus quis & promptus reddatur ad aliis veritates diuinas perſuadendas. Tres hæ gratiæ ad rerum diuinarum cognitionem ſpectant in ordine ad proximum. Quoniã verò ad ſupernaturalia & diuina, quæ omnem rationem tranſcendunt, perſuadenda, rationes & argumenta non ſufficiunt, ſed inſuper opera requiruntur, quæ virtutis diuinæ propria ſit; hac de cauſa alias Dominus gratias communicat, in quibus homines effectus, qui virtutis diuinæ ſint proprij, videant, quibus conuicti cre-

1. 2. q. 111. art. 4.

dant, & doctrinam, quæ ipsis prædicata est, veram esse & diuinam.

4. Quæ hunc in finem (doctrinæ scilicet per opera & signa diuina confirmationem) conferunt, sunt gratia sanitatum, miracula, prophetia, & discretio Spirituũ. Gratia sanitatum in eo sita est, vt ęgri morbidique sine vlla medicina externa medijsque humanis sanentur. Quæ verò virtutum (id est miraculorum) operatio dicitur, in ipsa miraculorum, ad solam diuinę potentiæ manifestationem destinatorum patratione consistit; qualia sunt, imperare, vt sol quiescat, obscuretur, aquas maris vel fluminis diuidere, &c. in quo hæc gratia à gratia sanitatum distinguitur; nam quamuis hæc etiam miraculorum sit patratio, non est tamen ad solam diuinæ potentiæ manifestationem, verum etiam ad vtilitatem & consolationem proximi destinata. Gratia prophetiæ in quadam cognitione supernaturali, ad ea, quæ solus Deus scire potest (puta futura) manifestanda destinata consistit. Discretio verò Spirituum in quadam cognitione, ad occulta cordis proximorum, quæ sine singulari Dei luce perspici nequeunt, detegenda aperiendaque destinata. Quatuor hæ gratiæ homines mouent, & adaptant, vt

in doctrina Catholica confirmentur: verùm vt hominibus ea exteriùs modo quodam humano, id est, loquendo persuadeatur, aliæ quædam gratiæ requiruntur, gratia scilicet linguarum & interpretatio sermonum.

5. Gratia linguarum in vsu ac locutione earum consistit linguarũ, quibus proximus vtitur, quæ diuersarum sunt specierum; Domino earum cognitionem vel pronunciationem concedente. Interpretatio sermonum, id est, eius, quod vel propria vel alienis linguis profertur, in conuenienti quadam verborum ac sententiarum, quæ dicuntur, expositione, sita est. In duabus his vltimis gratiis supponendũ est; particularem quamdam Dei fortitudinem cùm in loquendo, tum in interpretando concurrere, quò proximo vera fides & cultus Dei altissimi persuadeatur, & ad eum ipse inducatur. Sic tanta aliquos cõcionatores, quin & alios quosdam Dei seruos de plano & priuatim loquentes, sacram Scripturam videmus potentia & energia exponere, vt nemo iis resistere posse videatur.

TRACTATVS DE RAPTIBVS VISIONIBVS & Reuelationibus.

1. SVppono tria hæc inter ſe differre, vel in totum, vel in aliqua ſaltem parte; cùm, vt de Raptibus communi modo, vt loquitur vulgus, loquamur, multos videre ſit raptos, & à ſenſibus alienatos, quos tamen neſcias an viſiones habeant vel reuelationes. Conſtat præterea multos habere viſiones, non tamen reuelationes, quia nihil ipſis per illas viſiones aut declaratur aut reuelatur. Denique conſtat permultos viſiones habere, vel videndo aliquid, vel verba interiora audiendo, aut alio quopiam modo.

2. Diuinæ ſapientiæ ordo, qui vel in ſacra Scriptura, vel ſcriptis & exemplis ſanctorum perſpicitur, eſt (quando ita Domino placuerit) per veros Raptus animas ad ſe attrahere, quo aliquid ſupernaturale ipſis demonſtret, eiuſque ſignificationem aperiat. Adeo vt Spiritus Dei animam, ipſam vſu ſenſuum & potentiarũ priuando, non ideò ad ſe rapiat vt eam

ineptam, insensatam & semimortuam reddat, itaque nihil aliud agat (vti dum alicui spasma vel deliquium animi contingit) quia ex illo nullus sequitur fructus; at, dum animam ad se attrahit, bonum aliquod illi facere intendit; quod per visiones & Reuelationes tum illi, tum etiam interdum aliis vtiles fieri solet.

S.Tho. 2.2.qu. 175. ar. 1.

3. Vt autem ad raptum veniamus; communis eius definitio est hæc sequens: Raptus est quædam per spiritum diuinum facta eleuatio, per quem anima ad quid supernaturale cum quadam abstractione à sensibus sustollitur. Raptus quamdam significat violentiã, quæ sita nõ in eo, quòd anima ad Deum sustollatur (eò quòd hoc naturæ & inclinationi eius conforme sit; & nulla tum res violentiam patitur, cum ea illi contingunt, quæ eius propensioni conformia sunt;) sed in eo quod velocius & celerius per hanc abstractionem à sensibus anima eleuetur, quàm natura postulet; sicuti lapis, dum vi quadam ad suum trahitur centrum, nullam omnino patitur violentiam, quòd ad centrum trahatur; sed quia velociùs trahitur, quam naturali suo modo ferretur.

4. Raptus non in voluntate, vel appetitu sensitiuo fit sed in potentiis cognosci-

tiuis, cùm ipse intellectus, vel cum quadã alienatione à sensibus ad res intellectuales, vel cum aliqua visione intellectuali, aut phantasia, aut imaginatiua ad aliquã visionem imaginariam rapiatur. Ratio cur Raptus in voluntate fieri non possit, est, quia, cùm voluntas quædam sit ad bonũ propensio vel inclinatio, quo plus hæc violentiæ vel vehementiæ erga illud bonum habuerit, eo suæ conformior inclinationi erit; & idcirco à Raptu vel violentia remotior. Ipsa nihilominus affectus voluntatis, vel appetitus sensitiui vehementia multorum esse raptuum solet causa; cum anima magna quadam vt illis rebus quas amat adhærescat, atque illa vi potentias cognoscitiuas ad amata illa obiecta impellat, eas impetu quodam ab omnibus aliis rebus auocando Quod notandum imprimis est, vt de raptibus illorum formetur iudicium. qui vehementes naturales affectus habẽt, per quos facili negotio in Raptus parum sinceros bonosque rapiuntur; ac præsertim quando ad orandum cum rei alicuius obtinendæ desiderio sese conferunt. Quibus consulendum, vt, quando sese inflãmari sentiunt, mentem diuertant: quia quando verè raptus diuini sunt, tametsi ipsi iis obluctari gestiãt nihilominus rapiẽtur.

5. Exstasis communiter idem significat quod Raptus; etsi si vim proprietatemque nominis consideremus, aliquod inter vtrumque sit discrimen. Raptus siquidem quamdam violentiam significat, non autē Exstasis; sed simplicem dumtaxat à seipso egressionem: atque ideò conuenit voluntati, quæ egreditur, & versus obiectum amatum mouetur; & consequenter appetitui sensitiuo, qui similem dum amat, effectum producit. Atque hæ egressiones, cum vehemētes sunt, dictorum raptuum intellectus & imaginatiuæ causa sunt.

6. Circa Raptus ipsæ eorum notandæ sunt causæ & motiua; quæ quædam Dei esse solent vocationes vel tactus interiores vel abstractiones variæ, quibus magna quadam vi Dei maiestas animam ad se attrahit, ceu eius Dominus. De interioribus autem his motiuis nihil hic dicemus, quia possunt pro diuinæ voluntatis beneplacito innumera ac diuersissima esse; nā modò luce quadam vel flamma interiore modo quadam dulcedinis in appetitum sensitiuum instillatione, modò etiam secreto quodam sibilo, aliisq; occultis modis animam Deus ad se tam efficaciter & potenter vocat & attrahit, satis vt ostendat esse se rerum omnium & Dominum & conditorem.

7. Notandę quoque sunt impressiones, quæ in eorum, qui rapti sunt, apparent corporibus; quales verbi gratia, sunt, quòd corpus defectis viribus, frigidum ac vita quodam modo priuatum deliquium patiatur; quòd interdum etiam à terra sublime sustollatur, & in aëre suspendatur. Sunt & alij Raptus, qui dicuntur imperfecti, per quos anima non ita à sensibus abstrahitur quin verba aliqua proferat, & aliquot gemitus, suspiria aut voces emittat. Vehementia quoque eorumdem interdum sanguinem elicit; ipsum quoque corpus subinde insolitis quibusdam tremoribus concutitur, subsultat, discurrit, cordialissima quadam actum lætitia & iubilo, sicut de multis sanctorum legimus. Solet hæc sobria esse spiritus diuini ebrietas.

8. Porrò cum exteriora illa, quæ in Raptibus videntur, tàm Dei quàm Dæmonis operationes esse queant; nam & ipse illas quas numero præcedente dedimus, impressiones causare potest; hinc qui de Raptibus ferre iudicium volet, accuratè interiora illorum motiua, secundum ordinarias passionum vel affectuum spiritualium (quos in tractatu de discretione Spirituum descripsimus) regulas examinare debebit; parui ducendo ea, quæ in corporibus ra-

ptis videntur, si alia bona signa non concurrant.

9. Circa visiones vel apparitiones, in raptibus repræsentari solitas notandum est, duas res concurrere solere: vna est ipsa repræsentatio vel imagines, quæ intellectuales & imaginariæ esse possunt, prout ipsa futura est visio; altera est iudicium, quod de rebus per imagines illas repræsentatis homo format. Repræsentatio fit per species intelligibiles vel imaginarias, quæ sunt ceu diuersæ quædam imagines in intellectu vel in imaginatione positæ: quod fieri potest, Deo eas vel nouas infundente, vel eas quæ in intellectu vel in imaginatione iam sunt vsurpante, vel ita eas ordinante & componente, vt aptæ sint repræsentare id, quod diuina Maiestas reuelare voluerit. Vbi notandum est, ne quidē Angelum, multó minùs Dæmonem, nouas infundere species posse, non intellectui tantùm, sed ne imaginatiuæ quidem, (vt S. Thomas asserit) quamquam illas ordinare & componere species aut imagines possint, quas in imaginatiua inueniūt, vt id repræsentent, quod voluerint. Iudicium verò, quod de rebus repræsentatis homo efformat, per supernaturale fit lumen, quod Dominus infundit, quando

illi aliquid reuelat, Hoc verò iudicio nihil quoad Visiones dari nobilius potest : per illud namque Dei sensum cognoscit homo: cum sine hoc iudicio Visiones imperfectum quid sint, quod etiam nonnullis, qui sensum Domini non comprehendunt, vti in Pharaone & Nabuchodonosore factum est, communicari solet.

10. Quoad has repræsentationes vel Visitationes notandum est; quòd, quando apparitiones exteriores contingunt, vti dum Baltazari Regi Chaldæorum manus illa, in pariete eius mortis sententiam scribens, apparuit. Similiter quoque, quando repræsentationes aliquę intellectuales occurrunt (de quibus iam non est loquendi locus,) vti dum Deus Salomoni & Apostolis sapientiã vnà cum supranaturali quodam lumine infudit; locum in illis non habet illa abstractio vel à sensibus alienatio, quæ videtur in Raptibus: at solùm tum, cùm Deus aliquid in imaginatiua repræsentat. Differentiæ huius ratio est, quòd in duobus primis casibus intellectus iudicat, sese ad sensibilia conuertendo; sed in tertio necesse est, vt homo à rebus sensibilibus (id est exterioribus quæ sensus mouent exteriores) recedat, ne interna imaginatiua apparitio decipiatur, dum sibi Dan. 5.

ſuadet videre ſe exterius, quod per imaginationem tantum videt vel cognoſcit. Atque inde fit, quòd, quando abſtractio vel alienatio à ſenſibus imperfecta eſt, non facilè diſcerni queat id, quod quis tantùm imaginatur, ab eo, quod exterius videtur. Quod Magiſtros & Directores ſpirituales notare oportet, vt prudenter de hiſce rebus iudicent.

11. Viſiones intellectuales & imaginariæ contingunt, quando anima vel per cõtemplationis vehementiam, vel per aliquẽ raptum à ſenſibus alienatur. Viſio imaginaria in tres diſtingui gradus ſolet. Primus eſt, quando videntur ſigna vel imagines. Secundus, quando non modo apparent ſigna, verum etiam percipiuntur verba. Tertius eſt, quando ſimul cum ſignis & verbis aliqua apparet perſona, quæ vel loquatur, vel aliquid declaret. Atque hoc poſtremum cæteris eſt præſtantius & dignius. Verum viſio intellectualis his tribus gradibus longè eſt nobilior, quòd ad beatam cæli viſionem quam proximè accedat. Nota Viſiones imaginarias multis eſſe obnoxias periculis: Dæmon namque & propria imaginatiua vehemens multas viſiones ſibi fingunt, ſimiles illis, quas Deus immittit. Atque hinc eſt, quòd viri ſpi-

rituales eas metuant, & qantum possunt, declinent.

12. Reuelationes, quæ vna cum Apparitionibus his obtingere solent, & propriè in Visionum & significationum interiorum intelligentia consistunt, sunt variæ, prout sua communicare secreta tum præterita, tum præsentia, tum absentia, tum futura Dominus dignatus fuerit. De quibus, vti & de Visionibus, aliud nobis dicendum non est, quam debere nos ad signa communia, de quibus in Tractatu de Discretione spirituum loquuti sumus, recurrere. Hoc solum moneo, eos, quibus hæc interiora contingunt, esse debere tum cautissimos, ne scilicet nimis citò & temerè credant; tum prudentissimos, ne illa passim diuulgent; deinde viros doctrina præstantes, & spiritu Dei repletos antè cōsulere debere, quàm vel minimum quid eorum, quæ vel sibi, vel aliis erunt reuelata, exequantur.

TRACTATVS DE THEOLOGIA *Mystica*.

ETSI de Theologia mystica (quòd altissimum quid sit, & tam arcana ratione, vt reuerentiam in legentibus excitet, à D. Dionysio Aeropagita tradita sit) lingua vulgari nihil conscribi debere videatur; tamen cùm ætatis huius nostræ statum considero, qua nimirum multi de hac ipsa materia, in terminis parum intelligibilibus, idiomate vulgari conscripti libri leguntur; è quibus non mediocre spiritualibus hominibus damnum accedit: cùm etiam vtilitatem perpendo secuturam ex eo, quòd magna cum breuitate & claritate idiomate vulgari conscribantur ea, quæ hac in parte admodum intricata, perplexa & obscura sunt; ad maiorem Dei gloriam futurum putaui, dictæ Theologiæ puncta clarè distinctèque, ipsam rerum realitatem & substantiam, iuxta communẽ Doctorum, ac præsertim DD. Thomæ & Bonauenturæ doctrinam producendos complecti.

S. Bonauẽt.

2. Du-

2. Dubium I. Quid est Theologia mystica? Respondeo, est altissima quædam Dei notitia, vel experimentalis illius cognitio per eleuatissimam quamdam voluntatis cum ipso vnionē obtineri solita.

3. Dubium II. Quænam notanda sunt, vt in definitionis huius Theologiæ mysticæ intelligentiam homo perueniat? Respondeo, sequentia hæc notanda sunt. Quando quis est in gratia Dei, inter cætera bona Spiritualia quæ habet, quandam possidet qualitatem, vel habitum excellētissimum, ipsam inquam sapientiam, quæ inter dona Spiritus sancti numeratur, & in ipso intellectu versatur. Si quando autē Deo placuerit, speciali quodam auxilio & luce mirabili indita huc concurrit; & intellectus per hunc Sapientiæ habitum, deinde per illud diuinum, nobilissimum quemdam producit actum; qui actus non est cognitio quædam diuina ordinaria, sed extraordinaria, & tam efficax, vt in affectu terminetur, ingentem quemdam diuini amoris æstum in voluntate accendendo. Consentanea hæc sunt iis, quæ tradidit D. Thomas 1. p. q. 43. art. 5. quo loco de inuisibili filij Dei missione loquens, missionem hanc ait non in quacunque intellectus perfectione fieri, sed tunc, quando

sermo 2 de lumin ar. Eccles. ponit definitionis huius sensum quem postea auctores posteriores sūt secuti.

talis instructio vel notitia intellectui communicatur, vt in amoris affectum prorũpat. Atque ad hoc propositum Augustinum in testem citat dicentem, Filius mittitur, cùm à quoquam cognoscitur, vel percipitur: id est, tunc ad animam mittitur, quando quis eum perceptione vel gustu experimentali cognoscit. Atq; idcirco subnectit D. Thomas: Perfectio autem experimentalem quamdam notitiam significat: & hæc propriè dicitur sapientia, quasi sapida scientia. S, Bonauentura Itinere 3. Æternitatis, dist. 2. hanc doctrinam his verbis declarat. Actus sapientiæ est contemplari Deum, non quomodocunque, sed ex dilectione, cum quadam experimẽtali Dei suauitate in affectu vel voluntate. Voluntas porrò per hanc bonitatis, pulchritudinis, aliarumque perfectionum diuinarum notitiam Seraphico quodam ardore inflammatur: & virtus charitatis in hac voluntate consistens ardentissimi amoris actum producit, & mirabili quodã modo supra intellectum eleuatur, idque propter maiorem eleuationem, quam illi charitas confert, quam non fides, & ipsum etiam sapientiæ donum confert intellectui. Cum inter tres virtutes Theologicas charitas omnium sit altissima & sublimis-

sima,

ſima, vti docet Apoſtolus: & omnes virtutes Theologicæ, ac præſertim charitas, altiores & excellentiores ſint, quàm dona Spiritus ſancti, iuxta ea, quæ tradit Diuus Thomas 1. 2. q. 68. art. 8. Vnde ſequitur id, quod diximus, ſcilicet voluntatem in hac vita magis ad Dominū ſuſtolli, quam non ipſe intellectus; quia nimirum maiorem eleuationē illi confert charitas, (quæ etiam in ipſa verſatur) quam non fides, & ſapientia intellectui, in quo prædicti habitus ſunt. Quod hoc loco rationibus ſpeculatiuis à nobis demonſtrari neceſſe non eſt, cum doctrina certa ſit. Vt autem vlterius progrediamur, Deus ineffabili ſua dulcedine ad ſe voluntatem attrahit, atq; in hac eleuatione eam tangit, amplectitur, vnit vel oſculatur amore quodam cæleſti & deliciis diuinis. Denique poſt vnionem hanc & delicias diuinas, intellectus clariorem multo & ſublimiorem de Deo notitiam formet, quàm ante habebat, quamuis prima illa admodum eſſet eleuata & ſublimis. Hæc primaria & principalia ſunt puncta, quæ ſeruanda ſunt, quo ad myſticæ Theologiæ notitiam quis perueniat.

4. Dubium III. Quodnam prædictorum ſit Theologia myſtica: num habituale illud Sapientiæ donum, quod in intel-

lectu versatur; an actus ille contemplationis, qui ab illo habitu per singulare Dei auxilium enascitur, & ipsos voluntatis actus præcedit; an verò ipse actus amoris, qui per hanc contemplationis notitiam ab habitu promanat charitatis in voluntate existentis; an etiam ille Dei gustus, qui sequi solet, quando voluntas per singularem Dei opem ad altissimam hanc cum Deo vnionem sustollitur; an denique sit clarior & mirabilior illa contemplatio, quæ post hanc vnionem & gustum Dei sequitur? Respondeo, inter quinque illa iam enumerata, quartum, (scilicet illum gustum vel experientiam Dei, qui quidam voluntatis est actus magis eleuatæ, quam ipse eleuetur intellectus) Theologiæ mysticæ actum & maximè proprium & præcipuum esse; secundum autem actum illam esse notitiam vel contemplationem clariorem, quæ post Dei gustum & experientiam, per quam intellectus mirificè illustratur, sequitur. Inter Theologiæ mysticæ actus numerari quoque solet actus diuinæ contemplationis, qui hunc Dei gustum antecedit. Quod mihi sanè quàm maximè probabile videtur; cum ipse actus sit doni Sapientiæ, quæ Theologiæ mysticæ (vt nonnulli scriptores asserunt) habitus est.

Circa hoc autem responsum notandum est, propriissimam & secretissimā Theologiæ mysticæ partem, de qua auctores plus & quidem verbis sententiisq; grauissimis, quam de aliis loquuntur, esse gustum illum & experientiam ac perceptionē Dei ad quam (vti diximus) voluntas eleuatur, & diuinè à Deo attrahitur. Iam superest aliquibus difficultatibus circa doctrinam supradictam occurrentibus respondere.

5. Dubium IV. Si Theologia quandam de Deo notet scientiam, quomodo ergo Theologia vocari potest actus ille gustandi Dei, qui nec propriè scientia, nec actus scientiæ est, num non sit notitia, nec cognitio, sed tantum gustus & experientia Dei? Respondeo, notitia, fateor, non est; sed, sicut communi Visionis nomine omnes reliquorum sensuum functiones denotantur (adeo vt etiam quando quis cibum aliquem sapidum comedit, dicere soleat, Nullum hoc vnquam sapore vidi gratiorē sapidioremque) ita in actibus interioribus nomen scientiæ vel notitiæ (quæ visio quædam interior est) pro quacunqne perceptione ac velut sensatione interiore vsurpatur. Atque hoc in sensu dicimus, hanc perceptionem & gustum Dei, Theologiam esse, addi verò etiam (mysti-

cam) .i. secretam, ad illud ipsum denotandum.

6. Dubium V. Num voluntas magis Deum diligat, quàm eum intellectus in hac Theologia comprehendat? Respondeo, quod sic, ex doctrina D. Tho. in 1. 2. q. 27. ar. 2. quod etiam in multis aliis rebus accidit: vti exempli causa, dum quis pictoriam vel versificatoriam magis amat, quam fortasse intelligat. hac autem doctrina videre est, quam verum sit illud, quod diximus, voluntatem, in qua amor est, ad Deũ magis sustolli, & eleuari, quam intellectum. Vnde facile intelligetur (quãtum quidem sufficiat lectoribus) quomodo voluntas sublimissima quadam eleuatione attrahatur, ad quam intellectus ipse non pertingit: in hac autem eleuatione illa fit per tactum, gustum & experientiã Dei vnio. Variis id omnibus exprimere debeo, quod res ex se sit ineffabilis.

7. Dubium VI. Quomodo verum sit id, quod diximus, scilicet post illam Dei experientiam vel gustum quendam ab intellectu notitiæ vel contemplationis clarioris de Deo actum produci, quam non sit alter ille contemplationis actus, qui dictũ gustum præcedit? Respondeo, id verissimũ esse & inprimis credibile videri, etiam iis,

qui nullam rerum diuinarum cognitionē habent; sicut quotidiana experientia in aliis rebus liquidò videre est. Continget interdum, vt aliquis toto vitæ tempore mel non gustauerit: qui dum de eiusdem dulcedine alios loquentes audit, credit, & alium quendam conceptum clariorem, & dulcedini huic proprium efformat, à gustu ipso, qui illam notitiam vltimam præcedit, conuictus. Ita accidit iis, qui ante diuinas perfectiones contemplantur, quam eas degustent, vel postquam eas iam gustarunt, longè aliter, & mirabili quadam differentia quam antè, quam summopere obstupescunt Nota, notitiam hanc quantumuis eleuatissimam, ad gloriæ perfectionem & claritudinem non pertingere; sed esse tantum quandam velut æternæ beatitudinis inchoationem.

8. Dubium VII. Cur hic Dei gustus voluntati attribuatur? Respondeo, quod hæc è sublimioribus Dei fruitionis speciebus sit, quę quidem in hac vita haberi queant: ac secundum communem Theologorum cum D. Thoma sententiam, fruitio actus quidam est voluntatis. 1.2. qu. 11. art 1.

9. Dubium VIII. Quibus in partibus aut portionibus rationis, hæc perceptio, vel gustus Dei, & illa contemplatio, quæ

gustũ præcedit, ac deniq; alia illa contẽplatio quę post dictũ gustũ sequitur, versetur? Respondeo, tres hosce actus in superiori rationis, id est, intellectus & voluntatis parte esse: adeo vt duo illi contemplationis actus in parte vel portione inferiori intellectus, & ille Dei gustus in superiore parte aut portione sit voluntatis, quæ respondet illi superiori intellectus parti; in qua intellectus parte ipsum sapientię donũ etiam est. Verum notandum est, in illo gustu vel mystica Dei perceptione, voluntatem magis quam intellectum iuxta doctrinam num. 6. assignatam eleuari.

10. Dubium IX. Quid est portio vel pars superior & inferior rationis? Respondeo, ex mente D. Thom. 1. part. quæ. 79. art. 9. intellectum, in quantum diuina & æterna contemplatur, vel in quantum ea respicit ad actiones suas dirigendas, vel ad aliud quid faciendum, rationem superiorem vocari: at in quantum creata considerat, eaque secundum rerum creatarum rationes disponit, vocari rationem inferiorem: & idem prorsus per nomen partis vel portionis superioris rationis intelligi, quod per rationem superiorem, & per nomen partis vel portionis inferioris rationis, quod per rationem inferiorem. Et iux-

ta huius diuisionis analogiam similis an-
in voluntate formari solet, in quantū por-
tionis superioris vel inferioris intellectus
lucem ipsa sequitur. Nota, vniuersam sen
sitiuam hominis partem vocari solere ra-
tionem inferiorem, in quantum intelle-
ctus & voluntatis obedire potest imperio.
Notandum insuper communiter à spiritu-
alibus viris per partem hominis inferiorē,
totam partem sensitiuam; & per spiritum
hominis partem intellectiuam intelligi:
ideoque dici solere: Talis hunc vel illum
spiritum habet, .i. talis, quoad intellectū
(& consequenter quoad voluntatem) hoc
vel illo modo procedit. Ex his meliùs in-
telligetur id, quod in priori dubio respon-
sum est, scilicet Theologiam mysticam in
superiori intellectus & voluntatis parte
vel portione sitam esse, cum Theologia
hæc nihil sit aliud, quam gustus & subli-
missima quædam de diuinitate notitia: &
iam supra diximus, intellectum, in quantū
diuina æternaque contemplatur & co-
gnoscit, rationem superiorem dici.

11. Dubium X. Num vera sit illa dua-
rum potentiarum distinctio, quam non-
nulli Theologi adinuenerunt, vt scilicet e-
arum vna dicatur Intelligentia, nec non a-
liis nominibus: quam quidam intellectu

esse dicunt altiorem; altera, quæ voluntate sit altior, Apex vocetur mentis, & aliis variis nominibus? Respondeo, cum communi Theologorum,& præsertim D. Thomæ, sententia, distinctiones has non esse veras, nec vllas reuera esse intellectus & voluntatis potentias aliis altiores, neque opus esse sublimiora eleuatioraque quædam circa quascunque passiones diuinas, quæ in auctoribus, tum antiquis, tum modernis leguntur, comminisci. Addo insuper distinctiones has & illam nominum (quæ studio supprimo) varietatem & copiam exiguum, vt quidem ipse colligo, fructum attulisse; quin potiùs magnæ confusionis causam fuisse, ac fecisse, vt diuina (quæ intelligibiliora essent, si quam paucissimis iisque clarissimis terminis declararentur, incognitos, & cum Theologia scholastica parum conformes terminos studiosè non conquirendo) intricata & inaccessibilia fiant, quemadmodum prȩstantissimi quique & Spiritualium rerum studiosi Theologi confitentur.

12. Dubium XI. Quæritur, verumne sit illud, quod nonnulli de mystica Theologia tradiderunt, scilicet, voluntatē amare posse, etiamsi intellectus amare non intendat, adeo vt omnem operationem

in-

intellectus excludant? Respondeo, id verum non esse, cum S. Aug. l. 10. de Trinitate, quem citat S. Thomas in 1. 2. qu. 27. ar. 2. De quo puncto aliud hic dicendum non est, quàm solidissimam & fundatissimam illam doctrinam tenendam esse, scilicet voluntatis obiectum esse bonum cognitum, & sine obiecto nullum prorsus esse amorem posse.

13. Dubium XII. Num verum sit id, quod multa nomina à Theologis mysticis vsurpata significant, scilicet potentias intellectus & voluntatis in rebus diuinis recipiendis, vel dum in mysticis illis cum Deo vnionibus versantur, velut attonitas manere, quasi otiosæ agerent, ac nullum actum producerent, sed tantum quid paterentur, & lucis & gustuum diuinorum solum influxum reciperent? Respondeo, harum rerum plurimas piè esse interpretãdas, quod sint quidam loquendi modi amatorij: qualis etiam exempli loco foret si mori diceretur anima, vt in Deo viueret, vel, non sibi viuere, sed in Deum transformari; & ex se nihil agere, sed operationes Dei tantum in se admittere, aliiq; loquendi modi, similes illi Paulino. Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus. Gal. 2. Vnde hæ loquendi formulæ benignę sunt

intelligendæ & interpretandæ: sed, quod ad rem ipsam pertinet, constat intellectũ & voluntatem in illis altioribus vnionibus modo quodam tranquillissimo operari. Quod ad præsentẽ questionem sufficiat.

14. Dubium XIII. Num consultum & consentaneum sit, illos mysticæ Theologiæ libros legere, in quibus hanc nominũ adinuentorum & distinctionum parum cum Theologia Scholastica conformium varietatem inuenire est, Respondeo id ordinariè consultum non esse: quamquam bono cuidam Theologo id vtile esset; qui scilicet omnem doctrinam internoscere, & iis, quæ parum propria sunt, relictis, alia, quæ ad maiorem lucem, & Dei amorẽ excitandum & proximum docendum illi scripserunt, sibi norit seligere.

TRACTATVS DE DISCRETIONE *Spirituum.*

1. DVO significat nomen Spiritus, Primum id, quod spirat vel inspirat, vel aliquo impellit; quale est Deus,

Angelus, dæmonium & proprius spiritus vel anima hominis. Deinde ipsam, quam ab illis spiritibus homo recipit impressionem, quæ vento & flatui non dissimilis est, (vnde etiam is per nomen spiritus exprimi & significari solet) quæque non aliter hominem spiritualiter impellit ac ventus corporaliter.

2. Hoc in loco communem illam Theologorum, & inprimis D. Thomæ doctrinam supponimus, sci. 1. p.q. 111. solum Deum voluntatem mouere posse quoad illius interiora; Angelum vel Dæmonem solum quoad eius exteriora: quod faciunt, vel illi proponenda ea, quæ apta sunt eam mouere, vel passiones ad eam inclinandā mouendo, ita tamen vt voluntati liberum semper sit vel consentire vel dissentire.

3. Supponimus adhæc, Angelos hominis intellectum illuminare posse: idq; non immediatè quidem suum hominibus conceptum declarando, vti vnus Angelus alteri: sed aliqua illis signa, tum exteriora, tum interiora .i. phantasmata in imaginatiua repræsentando: ipsum etiam Dæmonem dicta signa facere posse, quo hominē instiget vel decipiat. Adhæc tam Dæmonem quam Angelum in imaginatiua operari posse tum phantasmata commouen-

io, tum diuersa repræsentando, tam cum aliqua alienatione sensuum; quam sine illa; speciem tamen ante per sensus non receptam imprimere non posse, vti docet D. Tho. 1. p. q. 111. ar. 3 ad 2. Mouere quoq; appetitum posse sensitiuum, humores immutando, quo passiones excitent: posse denique sensus mouere exteriores, tam perturbando sensoria, vt res sensibiles aliæ videantur quam reuera sint, quam per varias formas exterius eas repræsentando.

4. Supponimus adhæc, omni in spiritu duo notanda esse. Primum est, quædam lux tum vera, tum apparens, in intellectu causata; saltem indirectè quæ vocatur instinctus. Alterum est, quædam voluntatis motio, quidam scilicet affectus, puta gaudij, amoris, odij, &c. In his duabus rebus multi contingunt errores, cum per spiritus maligni illusiones, tum per propriam imaginationem.

5. Circa spirituum differentiam quædam facienda diuisio est; alia enim est inspiratio, & instinctus Dei vel Angeli, alia Dæmonis instigatio, alia ipsa spiritus hominis motio. Etsi enim multis in rebus motio Dei & Angeli differant, in eo tamē conueniunt, quòd ambæ sint bonæ. Nec obstat, quod nesciat homo patiens, ab v-

tro horum spirituum moueatur; Diuino ne an Angelico, cum effectus semper sit bonus: Ipsa autem spiritus humani motio non semper malos habet effectus; vti dum quis per naturalem lætitiam mentis mouetur, & eam ipse à Dei spiritu venire putat. Est hic quidem error materialis, sed non semper ideò mali sequuntur effectus.

6. Hisce principiis præsuppositis quæritur, quis sit, vniuersaliter loquendo spirituum omnium securissimus? Respondeo, illum spiritum cæteris securiorem videri, qui voluntatem mouet, vt tamē nulla, vti ordinariè fieri solet, imaginationis vel intellectus operatio præcedat. Quod fit, quando nulla omnino præcedit causa vel obiectum, quod voluntatem ordinario modo emouere potuisset; voluntas tamē se erga Deum moueri sentit. Nota non dicere nos voluntatem sine intellectus operatione moueri, sed tantum sine ea intellectus operatione moueri, quæ ordinario modo præcedat. Quod fieri potest, cum intellectum eo ipso in puncto Deus illuminat, quo voluntatem ab interiori eius parte impellit. Doctrina hæc conformis est iis, quæ supra ex communi S. Tho. & aliorum Theologorum sententia dicta sunt, scilicet solum Deum voluntatem ad

intus mouere posse. Nec non iis, quæ idē Doctor tradit 1. P.q. 11. ar. 2. etsi efficax aliqua præcedat apprehensio, quæ voluntati aliquod bonum quasi appetibile vel desiderabile proponat. Quia etiam illo modo solus Deus efficaciter mouere voluntatem potest, Angelus solum ei persuadere:

7. Vt verò vlterius pergamus: ex illorum Theologorum (qui docent, intellectū in hac vita per speciale diuinum auxilium intelligere aliquando posse, quamuis tamen ad nulla se phantasmata conuertat, i. intelligere ita posse, vt tamen imaginatio non concurrat) sententia optime concluditur, & bona consequentia efficitur, inspirationes, visiones, reuelationes, allocutiones, & alias quascunque impressiones, purè intellectuales, multò esse securiores, cum non solum Diabolus, sed & Angelus bonus nonnisi indirectè per imaginatiuam in hominis intellectu operetur. Vnde si quædam sint impressiones vel passiones diuinæ purè intellectuales, sine vlla imaginationis cooperatione productæ (vti viri spirituales probabiliter ostendunt) sequitur eas & multò securiores, & ab imposturis spiritus maligni vel spiritus priuati liberiores esse. Atque adeò in omni opinione eò minus periculi esse, quo minus

ea imaginarij habuerit, secundum doctrinam suprà circa ea, quæ spiritus malignus efficere potest, allegatam.

8. Quæritur, num iuxta ea, quæ Theologi docent communes aliquot statui possint regulæ ad spiritus vniuersaliter discernendos, siue ij sint animæ motiones, siue visiones vel reuelationes? Respondeo esse, quia, iuxta doctrinam communẽ, ex ipsis effectibus, quos faciunt, dispiciendum est, num ad maiorem puritatem, humilitatem, &c. hominem excitent, Dispicienda etiam verborum veritas, quando aliqua audiuntur vel conceptus formantur. Dispiciendum quoque, quæ eorum sit cum sacra Scriptura & Sanctorum doctrina conformitas, Videndum denique, num is, cui obtingit inspiratio, vel qui visiones habet vel reuelationes, benè sit tum quoad spiritum, tum quoad corpus dispositus; videndum inquam, an sit superbus, contumax, melancholicus, in amore & aliis passionibus immoderatus, ac præsertim in rebus sibi per imaginationem efformandis; num curiosus, incompositus, immodestus, nec non aliis imperfectionibus obnoxius quibuscum simul Dei spiritus nequit consistere. Circa res autem reuelatas, vt illæ bonæ

ſint, aduertendum eſt, an Deo dignæ, non inutiles, indecentes, curioſæ ſint, num tales vt ſine reuelatione aliqua etiam cognoſci queant, denique num debitam cum diuina maieſtate, ſapientia, ac bonitate, & cum perſona eas recipiente, & cum tempore & loco, aliiſque decentiæ & conuenientiæ circumſtantiis proportionem habeant. Itaque ſi hæc capita obſeruentur, ad hæc in iis, quibus viſitationes hæ interiores obtingunt, magna notetur veritas, & inſignis cum S. Scriptura, & ſanctis omnibus conformitas; nec non eximij pietatis effectus, maior perfectio, & vitæ ſanctimonia notabilis, piè prudenterque iudicari poteſt, hunc ſpiritum eſſe Dei; ſi ſecus, ſpiritum Diaboli, vel propriam imaginationem videri.

9. Circa effectum, quem inſpiratio facit, quæritur, quem nam diuina inſpiratio effectum initio & in fine faciat? Reſpondeo, in principio timorem vel turbationẽ afferre ſolere: quòd à rei nouitate magnitudineque ortum habet, nec non ab ipſius ſubiecti diſpoſitione, quando nimirum hoc iis non aſſueuit: ſed tantum in optimos pietatis effectus deſinit, dum mentẽ illuminat, flectit, calefacit, & exhilarat, &c. Diaboli verò inſtigatio planè ſecus a-

git, nam primo quandam boni exerit apparentiam, postea verò desinit in malum. Nota tamen, spiritualibus, quibus anima purgata est, etiam sub initium inspirationem diuinam cum aliqua suauitate, ac sine terrore vllo, contingere solere. Vice versa nonnullos flagitiosissimos, diaboli cōmunicationi iam assuetos, eò tandem venire, vt sine vllo terrore, etiam teterrimā apparentem figura, eum videre sustineant.

10. Quæritur, num ipsi, quibus fauores hi interni obtingunt, differentiam illam percipiant, quæ inter bonum aut malum aut priuatum spiritum est? Respondeo, percipere: quando iam iis fauoribus recipiendis assueuerunt. Sicut de sancta Monica legitur. Non propterea tamen suo niti debent iudicio, sed cum sapientibus & spiritualibus viris sua arcana conferre. S. Au. li.6.cōfes.c.13.

11. Quæritur, num illæ inspirationes vel fauores breues sint? Respondeo esse, vti etiam contemplatio, iuxta communem sanctorum opinionem.

12. Quæritur, num frequenter hæc accidere soleant? Respondeo, nonnullis Dei seruis sæpius hæc dari, etsi alioquin frequentiores sint inspirationes, quam visitationes, vel reuelationes vel locutiones interiores.

13. Quæritur, num alia particulariora signa sint ad probabilius spiritum Dei à maligno vel priuato discernendum? Respondeo, Sanctos & scriptores spirituales multa illorum obseruasse; inter quæ inprimis notabilia sunt illa, quæ S. Mater Teresa obseruauit. Primum est, Dei animam alloquentis potentia & imperium: quia loquitur simul & operatur. Vnde exempli causa vno verbo (puta noli timere) magnã nonnũquam perturbationem ipse quietat, animaque hoc audito tranquillitatem summam experitur. Signum hoc S. Matri nostræ cæteris omnibus visum est securius. Secundum est pax, quies, recollectio interior, deuotio, & magna in laudibus diuinis promptitudo. Tertium, si anima, quando loquentem Dominum audiit longo verba eius tempore, & nonnulla etiam quoad viuat memoriæ insculpta gestet. Quartum est, magna de futuro euentu impressa securitas, etsi illi variæ deforis difficultates obiiciantur. Præter signa hæc aliquot alia SanctaMater nostra annotauit, quæ in quodam Dei ad animã loquendi modo consistunt, vt scilicet ei per aliquam visionem intellectualem in intimis ipsius animæ penetralibus tam secretò loquatur, vt ne ipse quidem Diabo-

lus hæc intelligat. Primum horum signorum est ipsa verborum & locutionum Dei claritas, vt quæ supra omnem claritatem mirabilis est: nec non tenacitas memoriæ, qua anima verba illa comprehendit & retinet, vt illorum etiam stylum, & voculas & syllabas annotet. Alterum est, si sæpè nulla de illis rebus præcedat cogitatio, diuinaque verba ex tempore efformata alicui cogitationi tunc per mentem magna velocitate transeunti, vel alicui cuidam cogitationi ante illud tempus habitæ respõdeant. Tertium quod hæc verba intimis auribus anima percipiat, ad differentiam illorum, quæ ipsa sibi imaginatur; cum imaginatio propria quædam sit compositio. Quartum, si ad horum verborum, vel vnũ magna in anima lux oboriatur; quod secus fit, quando vel ipsamet operatur, vel diabolus. Quintum, si vna cum illis verbis sublimiora quædam animæ reuelantur, quam verba illa significant. Etsi verò supradicta signa à SanctaMatre nostra sint circa locutiones interiores obseruata; nihilominus vsui sunt etiam, vt de visionibus, reuelationibus, & vniuersaliter de omnibus, inspirationibus diuinis iudiciũ fiat, eæque ab inspirationibus spiritus maligni & propriæ imaginationis distinguan-

tur. Ideoq; cum signis illis communibus, quæ supra è communi Doctorum sententia produximus, obseruanda, & coniungenda sunt.

14. Quæritur num bonus sit ille nonnullorum spiritus, qui semper se actualem cum Deo vnionem habere dicunt? Respondeo, durum id esse & cum doctrina Sanctorum parum conforme, docentium vniformiter mentem in sublime elatam, & cum Deo vnitam habere, breue quid esse, anima namque statim ab illa mentis erectione per corporis molē recidit; ideoq; visionem illam actualem, adeo diuturnam & perseuerantem, vt suspectam habendā, vt dicunt nonnulli. At quando illa bona signa supra indicata concurrunt, actualis illa multi temporis, vel etiam dierum aliquot vnio vt suspecta non est habenda. Nota, diuersum quid esse, vnionem illam actualem, & Deum ab anima semper inueniri, quoties seipsa recolligit, & ad se ingreditur. Secundum hoc verisimile est hominibus nonnullis sanctitate præstantibus, certis temporibus etiam obtingere: ita tamen id differt à primo, perinde ac differt semper, quoties lubuerit, Pontificis alloquendi commoditatem habere, sed non semper eum reipsa alloqui.

S. Aug. lib. 10. confess. cap. 45. Grego. lib. 5. moral. c. 23.

15. Quæ-

15. Quæritur, num bonus ille sit spiritus, qui totus in deliciis Spiritualibus versatur? Respondeo, id vt plurimum suspectum videri, quando deliciȩ illȩ longo durant tempore, in iis præsertim, qui magnas antè difficultates aut labores nō subierūt. Ideoque inprimis disquirendum, num illæ deliciæ in personis sint per mortificationes & tribulationes præuias exploratis & num illæ eò referantur, vt illarum adminiculo ij, quibus offeruntur, maiorem in perfectione progressum faciant, maiorē erga humilitatem, patientiam, aliasq; virtutes affectum sentiant. Tunc enim verisimilius est, bonum spiritum esse, etsi eæ deliciæ ad multos continenter dies durēt. Obseruandum præterea, num cum aliquibus doloribus vel afflictionibus, alternatim ingruentibus, permistæ sint; quia etiam tunc verisimilius est, eas à spiritu Dei descendere, ita tamen vt semper locū habeat communis illa de signis antè indicatis doctrina, ac præsertim illa de effectibus ad virtutū exercitium, & progressum spiritualem faciendum conducentibus. Ex hac doctrina sequitur, quando anima quȩdam multos dies alienatis est sensibus, & se ipsa credit interim in deliciis illis spiritualibus absorptam esse, nullo alio præte-

rea inde collecto fructu; hoc suspicione non vacare; ideoque se illam excitare, & meditationi de virtutibus, imitationique sanctorum vacare debere, ne sic obtorpescat, & ad bona opera inutilis & inepta reddatur.

16. Quæritur, num bonus ille spiritus, quando quis tractando cum Deo, intellectu vel voluntate operari se negat; sed intra ipsam animæ essentiam operationẽ vel illapsum Dei solum se recipere dicit, eum solum operari sinendo, itaque quiescendo, ne diuinam hoc pacto operationẽ impediat? Nego hunc bonum spiritum esse, quia erroneæ cuidam & à Theologis illustrioribus condemnatæ doctrinæ conformis est, quæ docet ipsam beatitudinẽ & fruitionem Dei in hoc illapsu consistere: præterquam quod magna secum incommoda, & non mediocre multorum gratię & gloriæ meritorum detrimentum ferat, ac simul verarum & solidarum virtutum studium per inanem humilitatis cuiusquam imaginariæ prætextum auferat.

17. Quæritur, an ille bonus sit spiritus, quando se anima sola imaginatione putat extraordinariis quibusdam visionũ donis, & amicabilibus quibusdam amoris

indiciis (puta roseo serto, annulo, sponsalium celebratione) à Deo beati? Respondeo, hæc, quia extraordinaria sunt, & summi Theologi, virique admodum spirituales, ne in iis quidem, qui ad summã quãdam iam vitę sanctimoniam peruenerant, crediderunt habere locum posse, nisi fortè post longam explorationẽ, vel etiam post mortem sanctitate opinione vulgo celebratam, & miraculis coruscantem, vt plurimum suspecta videri, & à Dei spiritu non venire, præsertim quando ij, quibus huiusmodi occurrunt, adhuc tirones & nuperi in Dei cultu nouitij sunt, & nondum graues continua sui mortificatione, & diuturnis humilitatis & aliarum virtutum exercitiis, labores exantlarunt. Hac doctrina confutari refellique poterunt ij, qui se vulnera aut stigmata Christi in corpore suo habere dictitant: quod minimè sanè credendum est, nisi ea, quam diximus, antè maturitate adhibita præsertim perspectis illis imposturis & illusionibus, quibus nostra hac ætate quoad hoc plurimi illusi fuere. Vt non dicam, hæc stigmata aliqua arte humana & diabolica efformari posse; & ita quidem manifestè, vt patiens norit ea diaboli opera fieri; & ita quoque rectè, vt hæc à Deo facta sibi esse credat.

18. Quæritur, num ſit ille bonus ſpiritus, quando anima, poſtquam iam diu mortificata eſt, & multos annos in pœnitentia,& in lacrymis egit, pacificè blandeque à Deo habetur? Reſpondeo credibilius videri hunc ſpiritum eſſe Dei: obſeruandum tamen poſſe hic aliquam dæmonis illuſionem interuenire, ſi nimirum illæ blanditiæ parum ſpirituales, id eſt, nimis ſenſuales & parum decoræ (vt nonnunquam accidit) ſint. Propterea nemo ſuperiori ſuæ fidere debet pœnitentiæ, ſed ſemper in metu & timore viuere, ac Dominum rogare ne ſe hic à ſpiritu maligno decipi ſinat.

19. Quæritur, num bonus ſit ſpiritus ille, quando quis facile raptus & exſtaſes patitur? Reſpondeo hunc ſpiritum ſuſpectum eſſe: hæc namque facilitas è vehementiori natura oriri ſolet, quæ ſtatim atque vlli affectui ſeſe applicat, exceſſiuè inflammatur, & extra ſeſe rapitur. Naſci quoque ex dæmonis operatione poteſt, qui in imaginatiua, in appetitu ſenſitiuo, & in ſenſibus exterioribus operatur. Nec veriſimile eſt tot à ſpiritu Dei raptus cauſari, qui nec ad ſanctitatem eos patientis, nec ad proximorum bonum neceſſarij videntur: atque ideo iis, qui vehementioris

naturæ sunt, consulendum, vt dum se sentiunt inflammari, hos raptus auertant, aliqua sibi ad hoc vi illata, maximè in locis publicis.

20. Quæritur, num bonus sit spiritus, quando eorum, quibus visiones & reuelationes contingunt, aliquis subinde in errorem labitur? Respondeo, si vitæ sanitatisque ratio, & ordinariæ reuelationes bonæ sint, & ea probabilitate, quæ in hac quidem vita haberi potest, iuxta signa supra indicata, veræ, vniuersaliter ideo eum indicari non debere à spiritu illusorio & nequam decipi, quod aliquo in casu aliquando fraus & illusio interuenerit. Quãquam hic nos casus vt circumspectè & cautè in aliis post sequentibus casibus nos geramus, admoneat. Doctrina hæc consentiens est iis, quæ S. Gregor. homilia 1. in Ezec. docet, nimirum sanctos Prophetas per assiduum prophetandi vsum, suo nonulla subinde priuato spiritu loqui, existimantes à Dei spiritu hæc proficisci. Vnde subinde eos errare contingit, tametsi in aliis reuelationibus suis propterea non errent. Similiter conformis est iis quæ D. Tho. 2.2. q. 171. ar. 5. asserit docens. Etsi Prophetæ certissimo norint, id, quod per expressam reuelationem intelligunt, à

ſpiritu diuino deſcendere; ſecus tamen eſſe, quando alios quoslibet ſentiunt inſtinctus, quos ſemper diſcernere nequeũt, vtrum à Deo, vel à ſpiritu ſuo priuato proueniant. Vnde eruitur & ſequitur doctrina illa, quam in dubij reſponſione attulimus.

21. Quæritur, an bonus ſit ſpiritus, quando qui ſe interius moueri ſentiunt, ſtatim deliquium animi patiuntur, & velut exanimes prolabuntur? Reſpondeo, certò efficaciterque hoc è ſigno erui non poſſe, vtrum is bonus an malus ſit ſpiritus: cum in Scriptura nonnullos, viſis Angelis non modo ſummopere legamus turbatos, verum etiam viribus deficientes, in terram ſemmianimes cecidiſſe. Deinde ipſos etiam arreptitios turbari & in terrã concidere conſtet. Si verò deliquia hæc & caſus in terram cum aliqua indecentia & immodeſtia, inconditiſque geſtibus contingant, multò tum veriſimilius eſt, ſpiritus tartarei, vel vehementioris alicuius paſſionis hæc effectus eſſe Et vt demus has prolapſiones incompoſitè non fieri, ſed ſimpliciter tantùm, ac tanquam ſi homo exanimaretur; nihilominus admodũ probabile eſt, hæc capitis infirmioris & languentis argumenta eſſe, naturamque

affectus inordinati vehementiæ velut victam succumbere. Qui huiusmodi rebus obnoxij sunt, melius iuuari non possunt, quam si ad aliquod tempus oratione abstinere, bene comedere & multum dormire iubeantur.

22. Quæritur, an passiones efficere queant, vt homo velut exstaticus & abstractus fiat? Respondeo, posse: quia interdum ita vehementes sunt, vt omnem vsum rationis impediant, vt docent Theologi de passionibus agentes: Adeo vt per nimium gaudium, vel magnam tristitiam, ij qui passionibus obnoxij sunt, extra se ferantur. Vnde colligere est, cum diabolus appetitum sensitiuum (in quo passiones regnant) immutare queat, & vnà cùm illo imaginatiuam & sensus exteriores turbare; non raró aliquem raptu quodam diuino abreptum visum iri, cùm aliud tamen non erit, quam quædam dæmonis operatio, & naturalis passionis vehementioris excessus.

23. Quæritur, num ille bonus sit spiritus, quando quis alterius statum interiorem non raró sibi dicet reuelari? Respondeo, spiritum hunc communiter suspectũ esse; nisi quando post longam experientiam & diuturnam vitæ sanctimoniam, &

post exactissimum examen spiritus hic à viris cum pietate, tum doctrina eximiis approbatus erit; & reipsa patebit, hanc de statu proximi notitiam sterilem & inanem non esse, sed ad proximo succurrendum tendere, & ab eo, qui ipsam habet, cautè admodum & prudenter adhiberi. Atque per hoc respondetur illis, qui cum reuelationes habent, interius sibi sentiunt significari, vt proximo hæc & illa indicent. Sed hi sedulò prudenterque, vti antè diximus, examinentur, oportet; nec facile credere debent, bonum spiritum esse illum, à quo ad huiusmodi arcana enuntianda impelluntur.

24. Quæritur, num ille bonus sit spiritus, quando quis futurum proximi statum se nosse asseuerat; sicut quando, verbi gratia, ipsum prædicit exagitandum ingratia, ipsum prædicit exagitandum infirmitate opprimendum, ad opes vel honores, &c. euehendum? Respondeo, visiones has ordinariè meras illusiones esse à malo genio causatas. Nam vt iam non dicam, re ipsa iam sæpè compertum esse; aperta hæc fuisse mendacia, non paruum etiam animabus proximi damnum intulerunt, dum sub hac vana spe suspensas eas detinent, maxime dum ad altiora ipsæ euehendæ prænuntiantur. Ita quidem vt

illorum nonnulli, etiam in ipsa mortis, quam iam in præcordiis præsentiunt, hora sibi persuadere nequeant, sese morituros, nisi ante illusionum harũ effectum reipsa videant. Præterquam quod diuinam sapientiam & maiestatẽ dedeceat, sine fructu quidquam reuelare. Cum etsi demus reuera hæc euentura esse; nemo prudens ad has prędictiones se suaque dirigere debeat, præsertim quando ij, quibus huiusmodi reuelari solent, non vsque adeo probatæ sunt sanctitatis, & occasiones in quibus hæc dicunt, nescio quid humani ad mixtum habere videntur.

25. Quæritur, num bonus sit spiritus, quando quis diabolicis visionibus infestatur? Respondeo, quando ipse sanctæ vitę est, & apparitiones diaboli aliud non intẽdunt, quam vt vexent & prælia moueant, in quibus afflictus, atque oppugnatus nõ succumbit; piè probabiliterque iudicari potest, hunc à diuino spiritu dirigi, cum aduersus satanam & spiritum nequã præualeat, vti de Sanctorum plurimis legimus, quos id genus apparitiones non parum diuexarunt.

26. Quæritur, num bonus ille sit spiritus, quando tentatus & patiens per indecentes & turpes quosdam gestus com-

muniter vexatur & resistit, dum ab aliquo corporaliter se tangi, aut aliter, perinde ac si quis illi adstaret percipit? Respondeo, id videri suspectum, etsi is se propter impuritatem, quæ sibi inde adhærere solet, resistere existimet. Atq; ideo ipsæ circumstantiæ accuratè examinandæ sunt, quæ possunt esse tales, vt piè etiam credibile sit, hunc à spiritu diuino agi, & hoc exercitium esse, quod magnæ cuidam fortitudini & raræ virtuti respondeat.

27. Quæritur, num bonus ille sit spiritus, quando in apparitionibus ipsemet Christus Dominus, vel sanctus, vel sancta aliqua se corporaliter spectandos dare videntur, & inde sequuntur tactus, non dico parum honesti, sed admodum amatorij? Respondeo in gestibus hisce amatoriis, magna opus esse discretione & examine; ac si valdè sensuales sint, suspectos videri, quia cum summa Saluatoris Iesu puritate non satis coincidunt: at, si quando patiens probæ est vitæ, solidasque iam virtutes acquisiuit, & modo quodam spirituali fiunt, quo inter Christum & animā eos fieri deceat; (qualem ipsi in duobus Angelis, quando nostro intelligendi modo vniuntur & se mutuo contingunt, imaginari possumus) tunc inquam non est,

cur adeo suspecti hi tactus habeantur, quemadmodum è similibus Christi Domini cum B. Gertrude, modo quodam spiritualissimo peractis amoris & familiaritatis indiciis videri potest.

28. Quæritur, num cacodæmon extrinsecus & intrinsecus eadem prorsus apparere forma vel figura queat, qua verè Christus Iesus apparere consueuit? Respondeo, posse: atque idcirco qui eiusmodi habet apparitiones, non statim debet figuram hanc adorare: si tamen interdum bona fide ipsam adoret, non est quo se propterea cruciet, vel angatur: non enim est error formalis, nec materialis voluntarius. Notandum verò, non ipsum diabolum modo, sed & propriam imaginationem talem imaginem formare solere, qualis est Christi Iesu, vbi se spectandum dat: vnde magna hic circumspectione opus est.

29. Quæritur, num bonus sit spiritus, quando quis visiones habere solitus, certò sibi persuadet aliquam harum à Deo esse: & aliis viris magnis & in Theologia versatis contrarium asserentibus cedere & credere renuit? Respondeo, spiritum hũc minimè esse bonum, nisi is ab alia quadã efficaci ratione vestiatur & excusetur

qualis verbi gratia foret, si in superiore animæ parte fortissimam quamdam impressionem sentiret: quam hominibus sanctis imprimere Dominus solet, cum tanta quadam euentus secuturi securitate, vt sibi dubitare de eo non posse videātur. Quando autem posito, hanc ipsum in se impressionem sentire, nihilominus exactè suis obedit directoribus, vt Sancta nostra Mater Teresa faciebat, dum (quod ita illi iniunctum id esset) visiones à se auerteret; etsi alioquin interiorem hanc in se securitatem experiretur; confessariorumq́ue ideo suorum iussum omnibus reuelationibus anteponebat, quamuis indubitatè has ipsa crederet tutas & illusionibus non obnoxias esse: hoc inquam in casu non deberet spiritum hunc vt malū damnare is, qui animam talem regit, quæ per eximiam sanctitatem & longam cum Deo communicationem tales interdum ab eo fauores recipit, & quantum potest ac fas est, superioribus se suis subiicere conatur; cui etiam proinde gratum foret, interiorem hanc securitatem, quam sentit, non habere, quo liberius credat iis, quæ illi proponuntur. Sed hi fauores non sunt tironum nuperorum, multo etiam minùs eorum, qui per continuum aliquot

annorũ orationis exercitium, & per mortificationem, obedientiam & humilitatem probati non fuerint.

30. Quæritur, an Spiritus bonus sit, quando quis somnia de rebus futuris, quæ postea eo modo succedunt, quo somniauit, habere consueuit? Respondeo, communiter loquendo, rem hanc suspectã esse, quia, vti docet S Thomas, dæmones nulla homini per somnium reuelare possunt, quæ ipsi naturaliter sciunt, quod naturam & intellectum quendam superiorẽ habeant. Vnde prudenter creditur, somniatores alium fructum spiritualem è suis somniis, vel sibi vel aliis non elicientes, quàm quod multis diuinationibus inutilibus hac ratione repleantur, à spiritu Dei non regi, nec dirigi, sed potiùs à nequam, qui tum ex intelligentia sua, tum multa experientia, vera multa prædicit, sed cum intentione, vt hinc malum sequatur. 2. 2. q. 172. ar. 5.

31. Quæritur, num ille aliquorum bonus sit spiritus, qui orationem instituunt, quando res aliqua ipsis facienda incumbit; ac post eam impulsum, quem sentiunt, serio notant, eumque Dei esse motionẽ credunt? Respondeo, spiritum hunc multis illusionum, ac propriæ imaginationis erroribus expositum esse, præsertim, quando

ita se ad orationem componunt, vt certũ quid impetrare à Deo velint. Quoniam ipsamet imaginatio sibi res secundùm affectum, quem sentit, figurat, & dæmon huic illusioni se admiscet cooperando. Huic verò doctrinæ non aduersatur sensus & impulsus ille; quem multi viri spirituales perfectiores in oratione sentiunt, etsi nullam antè aliquò in se inclinationem habeant, sed indifferenter se se, & cum plena animi resignatione in oratione gerant; deinde verò se ad propositum vel actum aliquem particularem sentiunt impelli. Hic autem impulsus nõ est repellendus, etsi alioquin certa regula dari nequeat, è qua colligitur hunc Dei spiritum esse.

32. Quæritur, an nonnullorum, qui facilè compunguntur, & in lacrymas proni sunt, bonus sit spiritus? Respondeo, magni eum faciendum non videri, nec facilè credendum, hunc spiritum Dei esse, cùm id à teneritudine quadam & fragilitate naturali nec non dæmonis operatione ortum habere queat: quemadmodum quotidie in permultis videre est, qui cùm sint in statu peccati, & in eodem perseuerare decreuerint, tamen in lacrymas & suspiria ilico prorumpunt, si quando de rebus piis aliquos loquentes audiunt. Verum, quando

natura non adeò flexilis & mollis est, & hæc ad compunctionem, & lacrymas facilitas post multa mortificationis & orationis exercitia sequitur, piè prudenterque iudicari potest, hunc à Deo spiritum venire. Hac doctrina quoque sibi responderi comperient illi, qui ad lacrymas duri sunt, & ægrè admodum molliuntur, aut ad compunctionem concitantur, qui idcirco persuadere sibi non debent, à non bono se spiritu duci, interim, dum cum parte superiore vera piaque diuinæ maiestati sincerè seruiendi proposita concipiunt.

33. Quæritur, an ille spiritu bono ducatur, qui, quando orationi incumbit, in parte inferiori aliquas nonnunquam spiritus voluptates sentit, post quas sequantur pollutiones? Respondeo, si, qui huiusmodi res patitur, verus Dei alioquin sit seruus, & hæc illi immundities displiceat, non propterea eum turbari debere vel affligi, quasi decipiatur: cum experientia constet, eos etiam, de quorum probitate nemo prudenter dubitare potest, huiusmodi impuritatem in sanctis purisque meditationibus suis pati. Verùm tamen, quando hac se quis in parte affligi vexarique sentit, sua cum viris spiritualibus doctisque communicare arcana debet, quò

ipsæ expendantur circumstantiæ, & cautius in eo procedatur: si enim inconsultè procederetur, spiritus nequam facilè se clàm subingeret. Qui igitur hisce rebus obnoxij sunt; omnis absolutè illis non est de iis rebus interdicenda meditatio, in quibus hæc pollutio sequi solet: quin potius spirituale, quod inde eliciunt, bonum perpendant, atque ipsum cùm damno ex prohibitione hac sequi nato conferant, suique periculum faciant: cùm constet sæpè multò satius esse hæc contemnere, & è talibus casibus parùm laborare. Doctrina hæc communi illi Theologorum sententiæ conformis est, qua opera bona; verbi gratia, confessionem, studium, &c ob aliquas immunditias accidentarias & involuntarias, quæ interdum intercidunt inuisis, omittendas negant.

34. Quæritur, num ille sit bonus spiritus; quando alicui grauiter tentato, etsi tentationibus resistere viriliter contendat, nihilominus aliquæ immunditiæ oboriuntur non modò dormienti, verum vigilanti? Respondeo, probè pieque iudicari posse, Spiritum à quo illi ducuntur, bonum esse, quando quidem tentatori generosè obluctantur; præterquam quod multos, qui hoc modo affliguntur, tantæ pro-

bi-

bitatis esse videamus, vt de ea nulla sit controuersia. Hi tamen sibiipsis fidere non debent, sed sua cum viris sapientibus & spiritualibus arcana communicare.

35. Quæritur, num bonus sit spiritus, quando pius aliquis solidarumque virtutum vir à Spiritu blasphemiæ tentatus, quamquam constanter resistat, ita tamen violenter ab eodem impetitur, vt interdum in verba aliqua asperiora inuitus prorumpat? Respondeo, id hominum genus nequaquam turbari angiuè debere, à Spiritu malo sese regi, impellique arbitrantes. Etsi enim ab eo vexentur, quia tamen viriliter repugnant, à Spiritu Dei illos regi verisimilius fit. Multos quippè constat etiam excellentis sanctimoniæ viros à spiritu blasphemiæ acerrimè exagitari. Neque verò ob verba illa asperiora, in quæ subinde prorumpunt, contrarium formandum de illis iudicium est, eò quòd aut indeliberata sunt, aut in sensu aliquo commodo & tolerabili exponi possunt, quòd qui ea proferunt, grauissimè tententur.

36. Quæritur, num ille sit bonus spiritus, quando quis Dei obsequio sincerè intendit, ingentem quamdam in se sentit non modò à rebus piis, verùm etiam à Deo ipso auersionem? Respondeo, quando ta-

lis fideliter seruire & famulari pergit, etsi alioquin grauissimam illam auersionem,& sensibile Dei; odium sentiat, eum à bono regi Spiritu prudenter iudicari & posse & debere: alias enim in pio hoc officio famulatuq; , parte inferiori adeò repugnante, non perseueraret: vt taceam, multos viros piissimos quàm maximè hac in parte affligi.

37. Quæritur, num qui dæmoni familiaris aliquando exstitit, & iam, posteaquam ad Deum conuersus est, illas in parte inferiori passiones, & inordinatos motus sentit, quos ante conuersionem sentire solitus erat, nonnunquam is; bonum habere spiritum censendus sit? Respondeo, eum, si viriliter pugnat, credendum esse à bono spiritu regi, quò spiritum malignum & tartareum vincat, neque verò animo obhorrenda tetraque illa, quæ in se, vel apud se sentit, cadere debet: hac quippè ratione à pristinis anima immunditiis purgatur, quemadmodum experienti aper multos constat hoc modo magnum in via spiritus profectum fecisse.

38. Quæritur, quo nam sit spiritus modo examinandus? Respondeo, sequentia erunt obseruanda. Consideranda primò naturalis hominis patientis complexio-

num is scilicet melancholicus, vehemens, inquietus, curiosus, in cedendo difficilis sit, aliæque similes proprietates. Secundò notandi erunt mores tum præteriti, tum præsentes; num scilicet humilis, obediens, mortificatus, castus, modestus, taciturnus sit, & num extraordinaria quædam in spiritus rebus consectetur. Tertio examinanda sunt ea, quæ ipse vel audit, vel videt, an scilicet vera sint, pia, casta, necessaria, vel ad fines aliquos spirituales vtilia. Quarto, excutiendum, an ea sint sacris litteris & doctrinæ exemploque Sanctorum conformia. Quintò, num bonos ea producant effectus, maioris scilicet humilitatis, mortificationis, desiderij erga Deum, &c. Hæc præcipua sunt capita expendenda: vnde si post bonum & accuratum examen censor comperiat, dispositionem huius naturalem & moralem bonam esse, & ipsas inspirationes vel visiones pias, veras, puras, vtiles & sacræ Scripturæ, & doctrinis, exemplisque Sanctorum consentaneas; atque insuper maioris bonitatis, & vitæ perfectionis effectus producere, benè de eo iudicare & poterit, & debebit; si secus, malè: simul etiam circa primam obseruationem (in qua ne naturalibus melancholiæ, inquietudinis, &c. imperfe-

ctionibus agitur) notet, imperfectiones has à spiritu Dei per gratiam, quam confert, corrigi solere, sicut & communis Theologorum doctrina, & multorum Sanctorum experientia testatum facit.

FINIS